AMMIANVS MARCELLINVS
QVID IVDICAVERIT DE REBVS DIVINIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

ERNESTVS WITTE
BRVNSVICENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MDCCCXCI

Ammianus Marcellinus rerum gestarum libros scripsit 31, quorum servati sunt 18 novissimi, quibus tractantur anni ab 353 usque ad annum pugnae apud Adrianopolim commissae, 378. De vita Ammiani praeter ea, quae ex epistula Libanii, amici eius, concludi possunt, ab aliis nihil traditum exstat. Hoc tantum constat natum eum Antiochiae postquam ante 353 in ordinem Protectorum Domesticorum receptus multos annos militavit Romae annis circiter 390—395 historias suas publice recitavisse. Et vixit igitur et scripsit Ammianus tempore quo christiana nostra religio paulo ante a Constantino publice probata paganis frustra renitentibus dominari atque adversarias prorsus opprimere coepit. Duae autem in primis res huius aetatis notabiles sunt: christianorum de doctrinis dogmaticis certamina cum alia tum discrimina inter Arianos et Athanasianos et paganorum Juliano duce ultimus resistendi conatus. Quas igitur Ammianus partes secutus sit, quid omnino de rebus divinis iudicaverit, quaerere et utile est et iucundum.

Quicumque viri docti de vita eius cognoscenda operam dederunt, eos saepius ad coniecturas confugisse non habemus quod miremur: quod vero de ingenio quoque quale fuerit vel magis in diversas partes abierunt, illud sane mirandum est.

Nam, ut ceterorum, qui antea fuerunt, sententias mittamus[1]), Cartius[2]) videbatur sibi certamen sic diiudica-

1) Quas videas apud Cartium p. 24.

2) Guil. Ad. Cart.: Quaestiones Ammianeae, dissertatio inaug. Berolinensis 1868.

visse: Ammianum fuisse non christianum, sed paganum, similiter ac Julianus fuerit; eum plures esse deos credidisse. Hos tamen non eosdem esse, quos coluerit vetus religio; citat Burckhardtium p. 40: 'Die höchste Gottheit muss bei den meisten dieser späteren Heiden ihre erste Eigenschaft, nämlich die Persönlichkeit, an die Untergötter und Dämonen abgeben'[1]. 'Dei autem singuli remanent, sed tamquam qualitates pro personis habitae' (p. 40). 'Etiam Bellonam .. Furias .. re vera deas habuerit necesse est, nec minus Famam etc.' (p. 26). 'Per Fortunam autem et Adrastiam et fata nullo fere discrimine regi humanarum rerum eventus putat' (p. 41).

Novissimus autem exstitit in hac re Gimazanius[2], homo doctus Franco-Gallus, qui cum de aliis tum de religione Ammiani agens nonnullas alias opiniones atque ii qui ante eum scripserant protulit. Is enim proficiscens ex iudicio quod de universo Ammiani ingenio fecit (p. 54: 'Ammien Marcellin est une nature bonne, généreuse et droite, un caractère ferme, honnête et loyal' etc.), putat fieri non posse, ut homo, qui tam alienus ab omnibus contemplativis studiis eas tantum disciplinas amplexus sit, quae ad vitam bene gerendam spectent (p. 63 'l' esprit de l'homme de sens, de pratique se retrouve bientôt'), certas partes religiosas secutus sit ('politique prudent et modéré' (p. 64)). Christianus quidem est, tamen propterea tantum, quod infans baptisma accepit. Sed neque colit neque etiam accuratius novit religionem christianam; omnes religiosas quaestiones neglegit.

---

1) J. Burckhardt: Die Zeit Constantins des Grossen. Basel 1853. (Leipzig 1880). — Ante eum quem Cartius citat locum exstant verba: 'die einzelnen Götter bleiben, wenn auch nicht direkt als Dämonen, so doch als fast persönlich gewordene Eigenschaften' de quibus postea dicemus.

2) Ammien Marcellin, sa vie et son oeuvre, Thèse pour le doctorat .. par M. l' Abbé Jean Gimazane. Toulouse 1889.

Neque philosophia imbutus est; locos qui exstant de philosophia et rebus philosophicis ita interpretatur Gimazanius (pag. 85): 'ces passages sont tellement incompréhensibles qu'ils témoignent avant tout de l'incompétence de l'auteur; ce sont de purs morceaux à effet insérés pour faire étalage d'érudition devant le public trié, qui assistait aux lectures publiques'. — Similiter iudicanda sunt quae dicit Ammianus de fato et de numine: ces affirmations étaient un langage de pure convention' (p. 338). 'Ces théories fatalistes sont restées dans le domaine de la pure spéculation, elles n'ont point influé sur l'esprit de l'historien' (pag. 339). 'Ce prudent esprit de critique a-t-il été atteint et altéré par la croyance de l'auteur à la divination? Nous ne le croyons pas davantage' (ibd.). Omina et prodigia inseruit Ammianus historiis suis ea tantum de causa, ut animos eorum qui opus legebant vel audiebant, delectaret atque teneret (p. 340). Ut breviter Gimazanii sententiam repetamus: Ammianus fuit 'étranger à toute religion' (pag. 392), quin etiam 'sans convictions religieuses' (p. 398), id unum agebat ut esset 'franchement tolérant dans les questions religieuses' et, ut Valentinianus fecit, servaret 'une sincère politique de neutralité' (p. 82).

Sed parum mihi satisfecit Gimazanius. Primum id non recte fecisse mihi videtur, quod argumentis liberi ut dicit ingenii scriptoris nostri aliunde arcessitis verba eius de numine, deo, fato, ominibus non seria esse demonstrare conatur. Contra quaerendum primum fuit, quid ii ipsi loci sibi velint quidque valeant; nam unde nisi ex iis iudicium de ingeni scriptoris promi potest? — Deinde nonnullas Gimazanius sententias suas omnino non stabilivit argumentis, ex. gr. quod dicit de philosophia p. 85. Denique pauca prorsus falsa sunt, cf. p. 73: 'il se sert du pluriel dii, numina etc., lorsqu'il parle expressément du culte des païens,

des dieux de Julien en particulier' [1]), atque de philosophio p. 84, quae infra refutata invenies.

Qua de causa quoniam res his duobus Cartii et Gimazanii quaestionibus minime ad liquidum producta esse mihi videtur, operae pretium esse arbitror denuo perquirere quibus a partibus religiosis steterit Ammianus, quid de rebus divinis iudicaverit. Atque ne in eadem vitia, in quae priores, incidamus, ab omnibus coniecturis prorsus abstinebimus, ipsa modo verba scriptoris ad rem diiudicandam producemus, ea autem locis, qui quidem huc spectant, nullo neglecto omnibus utentes diligenter perscrutabimur.

Modo dixi nos quaesituros esse, quibus a partibus steterit Ammianus et quid de rebus divinis iudicaverit. Primum igitur scire cupimus, num certam quarti saeculi sectam se sequi ipse sive modo dicendi sive modo de sectis iudicandi nos doceat. Quaestio est prima utrum christianus an paganus fuerit. Sed cum 'christiana religio' notissima atque certissima sit, 'paganorum' nomine continentur sectae variae, maxime inter se differentes, quae hoc uno vinculo iunguntur, quod non sunt christiani. Pagani et ii sunt, qui esse nullum et qui ratione philosophorum quorundam esse unum deum, denique qui esse complures credant. Etiam ii, qui plures esse deos credant, polytheistae, in varias partes dividuntur. Optime autem earum una discerni potest pars, quae quidem deos veteres, deos veteris rei publicae religionis colit. Itaque quoniam duas tantum religiones certe dicere possumus, christianam et veterem rei publicae, si forte neutri Ammianum tribuere possumus, secunda existit

1) 1. etiamsi ita esset, tamen non demonstratum esset hos paganorum et Juliani deos non fuisse Ammiani. 2. sed erravit Gimazanius gravissime. Videas XXI 1. 14; XXI 14. 3 et 5; XXII 8. 2; XXIV 8. 4 ('scitabamur') et multos alios locos. Ex contraria parte — non minus falso stat Haar. Valesius (in editione Wagn. Erf. p. XLII): 'de diis gentium tamquam de suis semper loquitur'.

quaestio, quid omnino de rebus divinis iudicaverit, quid ex christianis, quid a philosophis, quid aliunde susceperit.

Iam videamus, num a partibus alicuius earum quae tunc erant religionis steterit. Atque cum christiana sit ea religio quae a ceteris accuratissime cernitur, optime nobis videmur primum quaerere utrum Ammianus fuerit christianus necne.

I. DE CHRISTIANIS ET DE EORUM RELIGIONE[1]).

Ante alia haec quaestio est tractanda, quatenus noverit Ammianus Marcellinus religionem, institutiones, munera christianorum.

'Religionem christianam' dicit XXI 16. 18; XXII 11. 10; XXVII 7. 6; — 'legem christianam' XV 7. 6; XX 7. 7; XXV 10. 15; — 'ritum chr.' XV 5. 31; XVIII 10. 4; XXVI 3. 3; XXVII 3. 13; 10. 2; XXVIII 6. 27; XXIX 3. 4; 5. 15; XXXI 12. 8; — 'cultum (cultores) chr.' XXI 2. 4; XXII 10. 7; XXVII 3. 15.

Munera christianorum haec commemorantur: saepius 'antistites' XV 7. 6; XX 7. 7; XXII 5. 3; XXVII 3. 15; XXIX 5. 15; 'episcopi' XV 7. 10; XX 7. 9; XXII, 9. 4; 'presbyteri' XXIX 3. 4; XXXI 12. 8; 'diaconus' XIV 9, 7.

'Virgines christiano ritu cultui divino sacratae' inveniuntur XVIII 10. 4.

'Martyres' exstant XXII 11. 10; (12, 8); XXVII 7. (5; et) 6.

'Synodos' fuisse narrat XV 7. 7 et XXI 16. 18.

'Dies festos' hos commemorat: XXI 2. 5: 'feriarum die, quem christiani Epiphania dictitant', XXVII 10. 2: 'et quoniam casu christiani ritus invenit celebrari sollemnitatem', XXVIII 6. 27: 'qui festo die christiani ritus in ecclesia per

1) cfr. Cartium p. 30—37.

noctabant. — Templa denique his verbis nominat: 'ritus christiani sacrarium' XXVI 3. 3; 'conventiculum ritus christiani' XV 5. 31; 'basilica ..., ubi ritus christiani est conventiculum' XXVII 3. 13; nomen ipsum 'ecclesia' affert XXI 2. 5; XXII 13. 2; XXVIII 6. 27 [1]).

Videmus igitur varia quae ad christianum cultum attinent ab Ammiano commemorari. Qua de causa sequitur, ut quaeramus, utrum aliquo loco se cum christianis coniungat an usquam verbis haud dubiis se excludat. Minime enim veretur de se rebusque suis dicere: XXXI 16. 9 (in fine totius operis) 'haec ut miles quondam et Graecus .. explicavi'. sim: XXVI 1. 1; XVIII 6. 23; XIX 2. 3: 'ut rettulimus saepe'. XV 5. 22: 'inter quos ego quoque eram'. XIX 8. 6: 'cum .. iam superarer, ut insuetus ingenuus' et multa simil. Porro 'nos' dicit Ammianus, ubi aut se ipsum adfuisse docere vult, aut de Graecis rebus aut de Romanis refert: XXIII 5. 7: 'venimus'; et al.; saepissime cum Graecam versionem addit voci Romanae linguae, dicit: 'quas nos appellamus' 'quos appellamus' 'ut nos dicimus' 'transire enim διαβαινειν dicimus Graeci' et al.: XIV 11. 18; XVIII 6. 22; XXII 15. 29; XXIII 6. 20. Quin etiam ex contrario Romanis uno eiusmodi loco se adiungit: XXII 9. 6: '*απο του πεσειν*, quod cadere nos dicimus'.

Quomodo igitur res se habet, ubi christianos vel christianorum usus commemorat? N u l l u s e x s t a t l o c u s, quo se illis assignet; immo vero complures inveniuntur, qui con-

---

1) Gardthausenus, cuius editione utimur, XXII 16. 22 coniecturam A. de Gutschmid recepit: 'ex his [Jesus] fontibus ...' Nos, quippe qui nos coniecturas omnis neglecturos esse polliciti simus, tamen ne coniecturam quidem hanc probare possumus. Nam Gutschmid post 'his' inseruit 'ihs' (h. e. Jesus). Sed num probabile, quin etiam verisimile est librarium mediae aetatis hoc ipsum signum 'ihs' neglesisse? Malim sequi Valesium qui ponens pro 'non' 'Platon' optime sententiam suam stabilisse mihi videtur (ed. Wagn. Erf. II pag. 520). Cf. Gimaz. pag. 80 adn. 1. 'Amplitudo' Platonis etiam exstat XXX 4. 3.

trarium, eum se eximere, demonstrare videntur. Non plane perspicui sunt hi:

XVIII 10. 4: 'virgines christiano ritu .. sacratae'; XXII 11. 10: 'qui .. pertulere cruciabiles poenas .. et nunc martyres appellantur'; XXVII 7. 5: 'quorum memoriam apud Mediolanum colentes nunc usque christiani locum .. 'Ad innocentes' 'appellant'. XXVII 7. 6: (ex oratione Eupraxii) 'ut martyras i. e. divinitati acceptos colit religio christiana'.

Si Ammianus fuit christianus, ei quippe qui semper ita dicere soleat dicendum fortasse erat pro 'religione christiana' 'nos' vel similiter. Tamen etsi verisimile est eum aliquid eiusmodi addere debuisse, comprobari non potest. His autem locis aperte se excludere mihi videtur:

XV 7. 7: 'coetus .. multorum — synodus ut appellant —'; XXI 16. 18: 'per synodos quas appellant'; XIV 9. 7: 'Maras nomine .. inductus est — ut appellant christiani — diaconus'; XXI 2. 5; 'feriarum die, quem celebrantes mense Januario christiani Epiphania dictitant'; XXXI 12. 8: 'christiani ritus presbyter, ut ipsi appellant'.

Concedes igitur discrimen, quod interest inter modum dicendi de ipsius rebus et de christianis, tam saepe atque constanter inveniri, ut forte id accidisse putare non possimus. Itaque de hac re dubitari non potest, quin Ammianus ipse christianus vel nominari vel videri noluerit. Tamen fortasse ea de causa id noluit, quod rerum scriptorem censuit decere ab omni partium vel religionum studio alienum esse. Perscrutemur igitur eos locos accuratius, quibus de religione christiana ipsa vel de eius sectis verba facit.

Primum locum quendam qui nullius momenti est praetermittere licet: XV 13. 2: 'Constantinus enim, cum limatius superstitium quaereret sectas, Manichaeorum et similium ..'.

Nam haec nomina, quae urbano cuique homini nota erant, refert tantum, iudicium nullum adiciens.

Accurate contra considerare debemus verba quae exstant XXI 16. 18, ubi vitia Constantii enumerans hoc quoque vituperat, quod 'christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione' confuderit. Illud igitur, quod antea diximus Ammianum fortasse de religionibus iudicare in opere suo omnino noluisse, iam teneri non potest. Iudicium enim affert de re aliqua religiosa, itaque ex partibus quibusdam eum stare necesse est. Sed quomodo iudicat? atque, quoniam Constantius a doctrinis Athanasii eiusque sociorum dissidebat, quibus ex partibus hoc loco stare Ammianum putamus? Novitne certamen ipsum inter Arianos et Athanasianos atque hoc loco de eo cogitat? Ipsene Constantium ut Arianum reprehendens Athanasianum se esse docet?

Facile id aliquis ex illis verbis concludere potest neque desunt viri docti, qui in verbis Ammiani opprobrium quoddam Arii inesse putent. Sed ii rem nimis a nostro vel ab ipsorum statu spectavisse mihi videntur. Certe homo catholicus vel orthodoxus nostrae aetatis doctrinas Arii 'anilem superstitionem' dicere non solum potest, sed etiam debet. Attamen num is quoque, qui extrinsecus quasi contemplans doctrinas ambas comparet? Quae sententia facilius intellegi potest, utrum, quod Arius docebat, unum esse deum, an difficillimum Athanasii dogma trinitatis et ὁμοουσίας? Cuilibet externo certe Arius dilucidior fuit. Itaque si Ammianus hoc loco Arianas sententias aspernatur, necesse est eum Athanasium semper secutum esse. Si fuit Athanasianus, speramus eum alias quoque magistrum defensurum esse. Itane est? defenditne eum alicubi? —

Immo vero! Nam componamus cum nostro loco eum qui exstat XV 7. 6—10. Narrat Athanasium, 'episcopum eo tempore apud Alexandriam', per synodum a sacramento

remotum esse. Tria opprobria afferuntur inimicorum eius: 'quod altius se efferat' (§ 7); quod 'dicebatur fatidicarum sortium fidem, quaeve augurales portenderent alites scientissime callens, aliquotiens praedixisse futura'; 'super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia, cui praesidebat' (§ 8).

Cum ea approbria quae affert Ammianus sine ullo iudicio aut refutatione, tum ratio qua de Athanasio loquitur ('A. episcopum eo tempore apud Alexandriam .. remov. syn.' § 7) argumento certissimo nobis sunt fieri non posse, ut Ammianus illum secutus sit; quin etiam suspicari possumus eum doctrinas illius aut vix aut omnino non novisse.

Quae cum ita sint, facere non possumus quin locum libri XXI ita interpretemur: Constantius vituperatur, non quod fuit Arianus, sed quod omnino haec discidia religiosa 'has res non intemeratas reliquit ut repperit' (cf. XXX 9. 5). Hanc cum sententiam acceperimus, facile quae sequuntur verba intellegemus: 'in qua scrutanda perplexius quam componenda gravius excitavit discidia plurima'. Ammiani enim ex sententia principis est diversitates religionum neglegere (XXX 9. 5), eos autem qui 'discidia excitent', si oporteat, graviter opprimere. Id autem Constantius minime curaverat, eaque de causa vituperatur.

Recte Cartius; 'Athanasianum non fuisse Marcellinum supra vidimus; si Arianam secutus esset doctrinam, non vituperasset Constantium. Quid igitur restat?' (p. 32). Atque certe illis iam de causis verisimile est eum non fuisse christianum.

Addamus nunc ad ea quae iam protulimus iudicia de religione christiana nonnullos locos quibus agit de christianis et in universum et de singulis. Saepius acerrimis opprobriis eos afficit: XXII 5. 4: (Iulianus expertus est) 'nullas infestas hominibus bestias ut sunt sibi ferales plerique christianorum'. Episcopos duobus locis vituperat:

XXVII 3, 12—15; praecipue § 14 certamina quae fuerunt in urbe de sede episcopali narrans ironice de consuetudine moribusque plurimorum episcoporum agit; etiam XXI 16. 18 locus quem supra attulimus huc spectat. Pergit enim scriptor: (episcopi) 'ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium'. Denique quod Georgius, episcopus Alexandrinus, 'cum transiret per speciosum Genii templum' ... 'quam diu' inquit 'sepulcrum hoc stabit'? — Ammiano 'est malum' aliquid (XXII 11. 7).

Antea vidimus 'Ammianum noluisse christianum vel nominari vel videri', iam comperimus illos etiam ab eo gravissime vituperari. Ergo non solum quod attinet ad libros eius sed etiam ut homo privatus ex partibus christianorum stetisse non videtur. Neque tamen fuit inimicus eorum religioni, scimus enim eam 'simplicem et absolutam' nominari. Itaque iustum eum fuisse atque medium inter partes religiosas concludere cogimur. Atque comprobatur haec sententia loco quodam permagni momenti, quo quid ipse de 'diversitatibus religionum' censeat, aperte nos docet:

XXX 9. 5: 'postremo hoc moderamine principatus inclaruit quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit aut illud: nec interdictis minacibus subiectorum cervicem ad id, quod ipse coluit, inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes ut repperit'.

Ergo haec est sententia Ammiani: religio non est causa publica, sed privata; colat suam quisque religionem; rixas tamen singulorum res publica sive princeps opprimere debet.

Hac tolerantia usus scriptor cum christianorum tum eorum religionis vitia quidem vituperabit, virtutes autem laudabit. Itaque etsi (vid. supr., christianos propter inimicitias inter se vituperat (XXII 5. 4), tamen neque Iuliani clementiae veram causam celat: 'ut dissensiones augente licentia non timeret unanimantem postea plebem'; etsi epi-

scopos urbanos cavillatur, tamen pulcherrima laude effert alios: XXVII 3. 15: 'qui (mali illi urbani) esse poterant beati re vera, si ... ad imitationem antistitum quorundam provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum et supercilia humum spectantia perpetuo numini verisque eius cultoribus ut puros commendant et verecundos'. Quin etiam num quis potest iudicare pulchrius de munere episcoporum, quam Ammianus eodem loco, quo de uno ex iis queritur: XX 11. 5: 'professionis suae (sc. episcopatus) oblitus, quae nihil nisi iustum suadet et lene'?

Sine ira et studio pari modo narrat Iovianum 'Christianae legis studiosum et nonnumquam honorificum' fuisse (XXV 10. 15) ac Iulianum 'cultui christiano adhaerere' tantum finxisse (XXI 2. 4). Pari aequitate 'tumultum quem Christianorum iurgia concitarunt' commemorat (XXVII 9. 9) ac laudat Saporem, quod 'virgines christiano ritu cultui divino sacratas (quas in castello expugnato invenerat) custodiri intactas et religioni servire praecepit' (XVIII 10. 4). Alio quodam loco (XXII 13. 2 et 3), ubi in certum est, utrum christiani 'stimulati invidia' (§ 2) an philosophus quidam Asclepiades 'invitus' (§ 3) templum Apollinis inflammaverint, ipse scriptor iudicium non facit, sed rem in dubio relinquit. XX 7. 9 autem crimen episcopo alicui inditum repellit: 'perstrinxit tamen suspicio vana quaedam episcopum, ut opinor ...'.

Quin etiam religionis christianae, ubi iniuria ab ea defendenda videbatur, defensor exstitit acerrimus. Nam bis iisdem fere verbis Iulianum, cuius a parte stetisse eum constat, obiurgat: XXII 10. 7 et XXV 4. 20: 'illud autem erat inclemens, obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros rhetoricos et grammaticos ritus christiani cultores'; et: '... praeter pauca: inter quae erat illud inclemens, quod

docere vetuit magistros rhetoricos et grammaticos christianos, ni transissent ad numinum cultum'.

Complectamur igitur breviter, quae comperta habemus: Commemorat saepissime Ammianus et religionem christianam et institutiones eius nonnullas et singulos christianos; numquam se ipsum christianum vocat, compluribus locis etiam se excludere videtur; doctrinas eorum et discrimina accuratius non novit; quin etiam, cum neque Arianum neque Athanasianum se esse doceat, concludere possumus christianum eum omnino non fuisse[1]). — Tamen nusquam

---

1) Quamquam supra polliciti sumus nos coniecturis omnibus repudiatis locos tantum ipsos inspecturos esse, tamen, ut Gimazanio respondeamus, de coniectura quadam quam protulit agere cogimur. Nam homo doctus Francogallus putat Ammianum natum ex parentibus christianis ipsum nomine christiani esse appellandum ea de causa, quod ut ipse referat in numerum Protectorum Domesticorum receptus sit, in quo nemini nisi christiano esse licuerit. Quae res Gimazanio argumento quoque est Ammianum commodo suo nimis studentem principis cuiusque religionem suscepisse. Semper autem bene de christianis eum dicere ea de causa, quod 'le prétendu chrétien ne pouvait que bien parler du christianisme' (p. 81).

Tamen in hac sententia valde offendimus. Nam si ita res se haberet, num fieri posset ut Ammianus tam aperte se a christianis separet? Quippe qui opus suum scripserit tempore, quo principatus christianus suae religioni maxime favebat, paganorum cultum etiam omni modo opprimebat. Nonne speramus Ammianum, si est talis qualem vult Gimazanius, ut se commendet principatui, christianum se dicturum esse? Potuit enim, quoniam baptizatus erat. — Sed non facimus cum Gimazanio. Hoc quidem negari non posse putamus: Ammianum tum, cum historias scripsit, aperte non christianum fuisse. Fortasse igitur lex illa quam commemorat Gimazanius non tam severe servabatur et Ammianus, quamquam christiano ordini Protectorum Domesticorum addictus, tamen ipse paganus fuit. Fortasse tempore Iuliani Caesaris, 'ubi adesse sibi liberum tempus faciendi quae vellet advertit, pectoris patefecit arcana' (cf. XXII 5. 2) et a religione christiana defecit. Fortasse paulatim ab ea alienatus est. Nescimus; sed scriptor rerum gestarum certe fuit non christianus. Atque quod dicit homo doctus eum non nisi bene de iis quae pertinent ad christianos loqui, videas quaeso quae ipsi p. 12—13 contulimus, unde apparet Am-

iniquum se praebet: laudat virtutes, vituperat vitia christianorum non secus atque aliorum, etiam inimicorum eorum: liceat suos cuique credere atque colere deos; ad rem publicam non pertinet religio, certe iurgia religiosa.

II. DE PAGANIS, DE PAGANORUM CULTU, DE NUMINIBUS.

Ammianus Marcellinus igitur fortasse ne baptisma quidem accepit, certe eo tempore quo opus suum scripsit, non christianus fuit. Fuisse igitur videtur paganus. Sed cui paganorum sectae se ipsum assignat? Sequebaturne eos qui Iuliano auctore veterem cultum restituere studebant? Credebatne plures esse deos?

Proficiscendum optime mihi videtur iterum eadem ratione atque in ea quae antecedit huius quaestionis parte, ab iis quae de religione deorum, de cultu paganorum inprimis Iuliani dicit.

Complures dei praeter 'caelestes' (semel XVIII 3. 8) et 'caelites' (XXV 3. 17) semper appellantur aut 'dei' aut 'numina', atque cum, ut postea videbimus, in singulari numero inter 'deum' et 'numen' discrimen quoddam sit, plurali utitur Ammianus semper sine ullo discrimine.

Verba, quae ad veterem deorum cultum pertinent, haec sunt: 'deorum cultus' XXII 5. 2; 11. 9; ('deorum cultus' = plur. XXIII 6. 34); 'numinum cultus' XXII 5. 1; XXV 4. 20; 'deorum cultores' XXI 2. 4; ('cultrices Veneris' XIX 1. 11); 'deorum antistites XXIII 6. 24. Saepius narratur deos, vel deos quosdam coli: 'numinibus supplicans' XXV 2. 4; 'pace numinum nondum exorata' XXIII 5. 4; 'obsecrata ritu

miani modum narrandi et iudicandi non esse hominis anxii vel adulatorii, sed aequi iustique.

sollemnium sacrorum numina' XXVIII 1. 20. 'Matri deorum.. pompae celebrantur' XXIII 3. 7 et sim.

Transeuntes nunc ad eam quaestionem, quomodo iudicet Ammianus de pagano cultu, primum complures locos repetere cogimur quos supra iam (p. 13) de christiana religione agentes attulimus. Nullum iudicium eum addere ubi narrat Iulianum defecisse a christianis iam scimus: XXI 2. 4: 'utque omnes nullo impediente ad sui favorem induceret, adhaerere cultui christiano fingebat, a quo iam pridem occulte desciverat, arcanorum participibus paucis, haruspicinae auguriisque intentus et ceteris quae deorum semper fecere cultores, § 5: et ut haec interim celarentur ... progressus in eorum ecclesiam sollemniter numine orato discessit'. Simili modo Iulianum aperte ad paganos transiisse narrat XXII 5. 1: 'et quamquam a rudimentis pueritiae primis inclinatior erat erga numinum cultum paulatimque adulescens desiderio rei flagrabat, multa metuens tamen agitabat quaedam ad id pertinentia, quantum fieri poterat, occultissime. § 2: ubi vero abolitis quae verebatur adesse sibi liberum tempus faciendi quae vellet advertit, pectoris patefecit arcana et planis absolutisque decretis aperiri templa arisque hostias admovere et reparari deorum statuit cultum'. Id quoque iam comperimus aequitatem Iuliani ab eo laudari: XXII 10 2: 'et quamquam in disceptando aliquotiens erat intempestivus, quid quisque iurgantium coleret tempore alieno interrogans, tamen nulla eius definitio litis a vero dissonans repperitur, nec argui umquam potuit ob religionem vel quodcumque aliud ab aequitatis recto tramite deviasse'. et id quod dicit § 7 quodque XXV 4. 20 (vid. sup. p. 13). Neque inutile esse videtur tibi illum locum in memoriam redigere XXX 9. 5; 'principatus inclaruit quod ... medius stetit ...'. Cum principatus fuerit tum christianus, is, qui ita dicit, potius quam christianus videtur esse paganus, qui verbis eiusmodi principes admonere studet, ut etiam erga

paganos iusti sint. Aliis quoque locis verisimile fit eum à partibus paganorum fuisse. Videmus enim eum christianos vituperare cum propter alia (XXII 5. 4; XXVII 3. 12—15; XXI 16. 18; vide p. 10) tum quod (XXII 11. 7) templum Genii 'sepulchrum' nominaverint. Alio loco queritur de palatinis XXII 4. 3: 'pasti enim ex his quidam templorum spoliis et ...' [1]). Denique 'inverecundum' esse dicit domus 'privatorum aedibus sacris connexas esse' atque laudat Praetextatum, quod id vetuerit (XXVII 9. 10). Certe igitur paganis favet. Sed num idem paganam religionem colit?

Nullius momenti sunt duo loci, quibus cultum vel antistites deorum tantum commemorat: XXIII 3. 7: (dies) 'quo Romae matri deorum pompae celebrantur annales' et quae seq., atque XXIII 6. 24: 'simulacrum Comei Apollinis perlatum Romam in aede Apollinis Palatini deorum antistites collocarunt'. Accuratius tractanda sunt verba XVII 4. 12: Constantinus obeliscum 'Deo Soli speciali munere dedicatum' Romam transtulit (§ 13): 'nihil committere in religionem recte existimans si ablatum uno templo miraculum Romae sacraret, i. e. in templo mundi totius.' Sed haec verba non spectant ad cultum deorum; religio illa, qua utitur Ammianus, non est pietas erga deum, sed pietas erga egregium illud monumentum.

Sed cum adhuc argumenta afferre non potuerimus Ammianum cultui veteri favere, duo loci etiam contra eam sententiam pugnant. Ubi agit de anno intercalari, pergit (XXVI 1. 12): 'tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, cum in sacerdotes potestatem transtulissent interkalandi, qui licenter gratificantes publicanorum vel litigan-

1) Gimazanius Heynium (in 'prolusione' p. CXXXII editionis Wagn. Erf.) secutus hunc locum ('paroles qu'il faut évidemment entendre des chrétiens' p. 71) interpretatur, ut Ammianum christianos accusare dicat. Attamen totus locus odium non christianorum sed palatinorum tantum praebet.

tium commodis ad arbitrium suum subtrahebant tempora vel augebant'. Atque Iulianum vituperat XXV 4. 17: 'praesagiorum sciscitationi nimiae deditus ... superstitiosus magis, quam sacrorum legitimus observator, innumeras sine parcimonia pecudes mactans ...'. Itaque parti eorum, qui veterem cultum restituere studebant. Iulianumque imitabantur, Ammianum attribuere non possumus. Qua re ad eam iam perducimur quaestionem, num omnino plures deos coluerit [1]). Permultis enim locis Ammianus commemorat 'deos' vel 'numina' atque ipsa singulorum deorum nomina: Iovem, Mercurium, Martem, Venerem, Cybelen, Nemesin, alios. Sed aliud est deos dicere, aliud deos colere. Quod rerum scriptor deos commemorat, eo non se cultorem eorum facit. Quin etiam multi illorum locorum quos afferemus in operibus scriptorum christianorum et nostrae et illius aetatis inveniri possunt. Scriptor qui aliquam sententiam dicit vel verbum quoddam commemorat, potest vel ita dicere coactus ordine gestarum rerum narrandarum, vel orationem alicuius referens, sententiam loquentis proferre, vel uti verbo scriptoris alicuius prioris, vel sequi usum vulgarem, consuetudinem dicendi cotidianam. Propterea accuratissime discernendum est, utrum Ammianus modo referat an iudicet; discernendum, utrum verba quae huc spectant exstent in narratione, in excursu historico vel geographico, in oratione alicuius, in laudando poeta vel philosopho vetere quodam — an inveniantur in iudicio Ammiani Marcellini ipsius [2]).

---

1) Curtius quia id quod sequitur neglexit, putat: 'plures deos esse credit: XVII 7. 10 ... et cft. XXII 8. 2: 'Delon partu deorum insignem'... cf. XXIII 6. 24, ubi deorum celebria delubra conscribit (!)' p. 26. Eum secutus esse videtur Ludovicus Schwabe in: W. S. Teuffel's Geschichte der römischen Litteratur (5. Aufl.) § 429, 2 (p. 1092): 'Ammianus ist entschiedener Polytheist, aber in der verschwommenen und abgeblassten Weise der Gebildeten seiner Zeit'.

2) Tamen caveas ne in contrarium vitium incidas. Dubitatio quae profertur semper stabilienda est certis argumentis; id quod ad-

Atque ut videas quam caute sit iudicandum in his rebus, hic id tantum afferimus: Contempleris quaeso hos locos: XX 11. 30. 'Irim de caelo mitti (poetae dicunt)'; XXII 2 4 'tamquam demissum de caelo'; XXII 10. 6 '(Aratus) Iustitiam extollit in caelum, (sed nunc reversa ad terras)'; XXV 4. 19 idem; XXII 8. 5 'lapides casuros ex caelo (praedixerat Anaxagoras)'; XXII 16. 22 idem; XXII 9. 6 'figmentum deae caelitus lapsum' XXIII 6. 34 'ferunt, si iustum est credi, ignem caelitus lapsum apud se custodiri'. Nonne videris tibi ex iis locis concludere posse Ammianum caelum putasse cameram rotundam atque globosam, sub qua terra posita sit? Tamen conferas cum illis hosce locos: XV 1. 4: '(docent mathematici): ambitus terrae totius, quae nobis videtur immensa, ad magnitudinem universitatis instar brevis puncti obtinet'; XX 3. 12 'quod autem solem ... cursare praediximus (§ antecedentibus), sciendum est siderea corpora ... nec occidere nec oriri, sed ita videri nostris obtutibus constitutis in terra ... nunc caelo infixas suspicere stellas ... aliquotiens humana visione languente discedere suis sedibus arbitrari'; atque imprimis XXV 2. 5 'corpora enim qui credit caelitus posse labi, profanus merito iudicatur et demens'. Quid igitur ex his colligi potest? — Ammianus, ut ipse affirmat, minime ignorat caelum non esse globum; ergo vocabulo 'caelum' omnibus locis, ubi idem ac 'globus' esse videtur, tantum vis communis seu popularis inest; ergo nullo modo credidisse potest lapides aliasque res de caelo labi, sed ubicunque hoc dicit, iudicium, etsi certum habebat, non adiciens refert tantum; ergo omnibus quoque verbis, quae narrationibus similiter addit, etiamsi non aperte eum dubitare demonstrant ('si iustum est credi' XXIII 6. 34; cf. XXI 3. 4 'si famae solius admittenda est fides';

---

modum neglexit Gimazanius; cf. p. 85 'ce sont de purs morceaux'; p. 340 'seulement ... l'historien etc.' et al.

3. 5 'ut dignum est credere'; maior vis est tribuenda; ergo ne 'Irim' quidem aut 'Iustitiam' de caelo descendere potest credidisse (cum XXII 2. 4 'tamquam demissum de caelo' cf. XV 8. 2) 'salutaris genius'; XXII 10. 6 exstat 'Iustitia ... in caelum', quod maximi momenti est ad diiudicandum de aliis locis ubi similiter Iustitiam agentem facit, ut XXII 3. 7; XXVIII 6. 1, et saepissime, sed cum id narrat, aut traditionem aut verborum usum poetarum secutus est; sunt verba eiusmodi (ut Cartius dicit p. 26) figurae tantum quaedam dicendi.

Itaque quoniam demonstravisse nobis videmur Ammianum non omnia quae tradidit credidisse, facilius iam quaeri posse putamus, num recte dixerit Schwabius: 'Ammian ist entschiedener Polytheist'. Atque ad hanc quaestionem diiudicandam ne quis timeat ne quem locum neglexerimus, omnes quidem afferemus, ita quidem ut eos ex quibus nihil colligi licet, tantum commemorantes graviores postea maiore diligentia perscrutemur.

Saepius narrat Marcellinus deos a Romanis exercitibus vel a Iuliano aliisque esse adoratos atque consultos, ex gr. XIX 12. 3 et 4 'hic Besae dei localiter adpellati oraculum quondam futura pandebat ... et quoniam quidem praesentes, pars per alios ... consulta numinum scitabantur etc.'; refert enim Ammianus 'occasionem vilem et parvam quaestionum in infinitum extendendarum' atque rerum narrandarum ordine coactus est deum Besam commemorare. Non solum autem iudicium nullum addit, sed etiam eo modo (adpellati') narrat, ut eum Besam non coluisse facile cognoscamus. Haerere tamen possumus in hoc loco: XXIV 8. 4 'consulta numinum scitabamur, utrum ...'. Putet enim quispiam, quod Marcellinus dicat 'nos scitabamur', hoc loco eum se cultorem deorum praestare. Tamen ita res se habet: Ammianus fuit cum exercitu Iuliani, qui a Iuliano coactus 'numina' adoravit. Itaque illud 'nos' non referendum est ad

'nostra numina', sed ad 'nostrum exercitum'. Interdum autem simili modo atque apud christianos etiam se excludere videtur: XXVI 7. 17 'milites testati militiae more Iovem' (cf. XXIV 1. 1: deum usitato clamore testati'; XVII 13. 33 'deum ex usu testata (contio)' et sim.).'

Componamus igitur omnes similes locos, qui nullius momenti sunt: XXIV 6. 17 exclamavit indignatus acriter Iulianus Iovemque testatus est nulla Marti iam sacra facturum' et quae antecedunt; XXI 5. 1 'placata ritu secretiore Bellona Iulianus ...'; XXII 14. 4 'Iulianus cum Jovi faceret rem divinam'; XXII 9. 8 'venerato numine hostiisque litato'; XXV 2. 4 'per depulsoria sacra numinibus supplicans'; XXIII 5. 4 'nondum pace numinum exorata'; XXVIII 1. 20 'obsecrata ritu sacrorum solemnium numina'; XXIII 3. 7 (v. sup.) 'diem quo Romae Matri deorum pompae celebrantur annales et carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur'. Deos aliarum gentium commemorat XXII 8. 34 'dis litantes et immolantes advenas Dianae, quae apud eos dicitur Orsiloche'; XVII 12, 21 'pro numinibus colunt mucrones'; XXXI 2. 23 'gladium ut Martem colunt'; XXI 13. 4 'apud Persas silentii quoque colitur numen'; XXIII 3. 2 '(Iulianus) Lunae, quae religiose colitur per eos tractus, ritu locorum fert sacra'; XXII 14. 7 ... 'Mnevis et Apis sunt notiora; Mnevis Soli sacratur ... sequens Lunae' et qu. seq.; XXIII 6. 5 'appellari se patiuntur Solis fratres et Lunae'; XXII 14. 7 '(urbs) praesentia numinis Aesculapii clara'; XVII 4. 6 '(antiqui reges obeliscos) dis superis in religione dicaverunt'; XXVII 4. 4 '(Scordisci) saevi quondam et truces, ut antiquitas docet, hostiis captivorum Bellonae litantes et Marti'. Hic commemorari etiam liceat XXII 16. 21 'Pythagoras colens secretius deos'.

Prorsus fere neglegere possumus commemorata aedificia et statuas deorum. Nonne nostrae etiam aetatis scriptores templa illa egregia laudant? Itaque satis habeas lo-

cos eos tantum indicari: XVII 4. 6: figmenta Aegyptiorum numinum; XVII 4. 3: deorum donaria; XXII 13. 3: deae caelestis (= Veneris Uraniae) figmentum; XXII 9. 7: figmentum deae (sc. Magnae Matris); narrat enim Marcellinus: (de nomine urbis 'Pessinuntis') quidam enim figmento deae caelitus lapso *απο του πεσειν* quod 'cadere' nos dicimus urbem adseruere cognominatam'. Opinionem igitur 'quorundam' sine censura excipit. Quod autem ad id 'caelitus lapso', v. s. p. 19. XXII 8. 5: religiosa Matris Magnae delubra; XXII 9. 5: Magnae Matris delubra; — simulacrum Romam est translatum; XXIII 6. 24: simulacrum Comei Apollinis, perlatum Romam, in aede Apollinis Palatini deorum antistites collocaverunt; XXII 13. 1: Daphnaei Apollinis fanum et simulacrum in eo 'Olympiaci Iovis imitamenti (?) aequiperans'; XXIII 3. 3: Palatini Apollinis templum; XXII 8. 3: Apollinis Sminthii templum; XIV 8. 14: Salamis Iovis delubris insignis; XXIII 6. 19: Iovis templum; XXII 8. 39: religiosus Triviae lucus; XXIII 6. 47: Serapidis templum; XVI 10. 14: Constantius admiratur Iovis Tarpei delubra, Pantheum, Urbis templum, forum Pacis, 'aliaque inter haec decora urbis aeternae'. (Quae verba maxime perspicuum faciunt Marcellinum templa et statuas non nisi ut artificia admirari). XXIX 6. 19: Boni Eventus templum.

Sed cum omnes illi quos attulimus loci nullius momenti sunt, accuratius nobis est tractandum de diis, qui quidem exstant in fabulis ab Ammiano ex 'vetustate' depromptis. Nam quod Marcellinus dicit 'Delon partu deorum insignem' (XXII 8. 2), nonne videtur ei haec res esse notissima, certissima, ab omnibus probata creditaque? Nota? — sane; ab omnibus atque ab ipso Marcellino probata? — minime. Tria sunt eius rei argumenta: 1. quod nemo erat illa aetate qui ignoraverit traditiones illas poetarum veterum neque tamen iis crediderit (rectissime Burckhardtius l. l. p. 167: 'das Detail der Mythologie ist nie Glaubenssache gewesen'); deinde

2. saepius addit Ammianus se narratiunculas tales ab aliis excepisse: 'memoratur' XIV 8. 3; 'ut fabulae ferunt' XV 4. 6 et sim.; 3. autem, quomodo iudicet de veteribus et veterum fide ex his cernes: 'Homerus fabulosius canit' XXIII 6. 53; 'Homerus fabulatur inflatius' XXII 16. 10; 'fabulosa vetustas' XXII 2. 3 et XIV 11. 26 (= fab. vet. pinnas Adrastiae ideo aptavit, ut ..); atque praecipue 'vetustate ut cetera fabulosius extollente' XIX 8. 11. Quoniam igitur ab ingenio atque ratione 'vetustatis' prorsus alienum se esse ipse perspicuis verbis docet, fieri non potest, quin fabulas antiquas referens tantum traditionem poetarum veterum secutus sit, ipse quod narrat non crediderit.

Conferamus igitur in unum locum fabulas eiusmodi: XIV 8. 3: '(Tarsum) Perseus condidisse memoratur, Iovis filius et Danaes'; XXII 8. 23 'Liber reversus orgia pristina reparavit'; XVI 1. 5 'ut Erechtheus in secessu Minervae nutritus'; XXV 4. 14 'ac si quodam caduceo leniente mundana' (quae verba ad Mercurium spectant); XXII 8. 2 'Delon partu deorum insignem'; Praetermittamus ne hos quidem locos: XV 4. 6 'sic Alpheus oriens in Arcadia cupidine fontis Arethusae captus scindens Ionium mare, ut fabulae ferunt, ad usque amatae confinia ...', atque XV 9. 6 et 10. 9, ubi Hercules Amphitryonis filius aut Thebaeus commemoratur. Neve haereas in his verbis: XXII 16. 3 'Peleus, Achillis pater, deorum monitu iussus' atque quae similia; XXII 8, 3 '(Aeneas) mox ductu numinum properavit ...'. Qui loci, etsi iis deos monentes et ducentes facit Ammianus, tamen nihil demonstrant, quoniam ita dicere et poetae et scriptores omnes solebant (cf. ex. gr. Vergilium). Ex Cic. Brut. c. 31 depromptum esse quod exstat XXII 16. 22. 'Jovis aemulus (Plato)' docuit Valesius. Cf. p. 8 adn. 1. Poetarum denique vel cotidianam dicendi consuetudinem Marcellinum secutum esse nemo est qui neget his locis: XXV 10. 15. 'Vino Veneri-

que indulgens'[1]); XXX 1. 22 'hospitali numine contuente'; XVI 10. 15 'etiam numinum adsensione mirabilis'; XXIX 2. 19 '(Areopag.) quorum aequitas deorum quoque iurgia dicitur distinxisse'; XVI 10. 1 'quasi recluso Iani templo'; XIX 11. 6 'quietem tamquam salutarem deam'; XXIII 6. 6 'numinis vice eum venerantur'; XXII 9. 14 'in speciem alicuius numinis excipitur votis (Iulianus)' (cf. ut videas hanc tantum phrasin poeticam esse, aliam imaginem XVI 5. 14 'tamquam solem sibi serenum post squalentes tenebras adfulsisse' atque quod supra iam commemoravimus XXII 2. 4 'tamquam demissum de caelo').

Praetermitti autem omnino possunt quae exstant in orationibus a Iuliano habitis: XIX 10. 3; XXV 3. 15 et 17. Nam nusquam Ammianus Iuliani verbis ut suis utitur. Quod autem quispiam concludat ex ratione earum orationum referendarum Marcellinum non fuisse inimicum religioni Iuliani pristinaeque rei publicae, et ex aliis locis hoc iam comperimus neque ipsi umquam negamus.

Itaque vidimus permultis locis 'deos' vel 'numina' commemorari, ex quibus tamen nihil de religione Ammiani colligi potest. Atque si putet quispiam singulos quidem illos locos, unumquemque pro se, nihil valere, sed quod tam multi, quasi innumeri inveniantur, silvae quasi eorum et universitati vim aliquam demonstrandi esse tribuendam, respondeamus: ea de causa tam saepe deos commemorari necesse est, quod scriptor multas a paganis gestas res narrat, quod urbes quas describit paganis artificiis refertae erant, quod denique Ammianus latinam sibi linguam paganis scriptoribus accuratissime lectis excoluerat. Quas ob causas fieri non potuit quin saepius deos commemoraret. Sed commemorat tantum deos, nusquam eos agentes facit nisi locis illis duobus:

---

1) Quam sententiam meram loquendi figuram esse etiam Curtius concedit (p. 26).

'ductu numinum' et 'deorum monitu iussus', quos ex ipsis poetarum verbis depromptos videri supra iam demonstravimus. Omnino autem aliter eum de 'numine' et de 'deo' dicere infra videbimus.

Sed praeter illos quos adhuc attulimus locos minoris momenti nonnulli etiam exstant quibus ipse de diis iudicat. Priusquam autem ad eos transimus dicere nobis liceat de paucis quibus Cartius utitur, ut sententiam suam (Ammianum plures deos coluisse) stabiliat (p. 26).

XVII 7. 10, ubi 'adesse tempus' existimat Marcellinus 'pauca dicere, quae de terrae pulsibus coniectura veteres conlegerunt'. Solet autem, cum talia tractat, opiniones et philosophorum et aliorum coniunctas atque inter se compositas afferre (ut in XIV 11. 25; XXI 1. 8). Itaque hoc quoque loco priusquam sententias Aristotelis, Anaxagorae, ceterorum prodit, philosophos inter se dissentire dicit, 'unde et in ritualibus et pontificiis obtemperantibus sacerdotiis cavetur ne alio deo pro alio nominato, cum qui eorum terram concutiat sit in abstruso, piacula committantur'. Num hoc loco eum (quod Cartius vult) 'ipse quae sentiat atque persuasa habeat tradere apparet'? Minime. Quid? Quod XVII 10. 2 dicit 'ut in Tageticis libris legitur Veiovis[1]) fulmine mox tangendos adeo hebetari ut nec tonitrum nec maiores aliquos possint audire fragores' — quid ex eo concludere vis? Nihil aliud nisi Ammianum lectionis copiam libenter ostendere.

De XXII 8. 3; 8. 5; 8. 39 iam supra egimus; in XVII 4. 12 Ammianum non deos sed egregium monumentum colere scimus; quid ex XXII 4. 3 sequatur quaesivimus p. 17. Restat igitur XIX 4. 3, quem locum prorsus contrarium demonstrare Ammianum non fuisse cultorem veteris religionis mox videbimus.

---

1) Si lectionem Gelenii sequimur.

Tandem enim ad certiora veniemus. Nam compluribus locis etsi paucis Marcellinus aperte atque dilucide *de deorum natura* quae iudicet loquitur. Atque primum videmus eum studuisse ratione naturali mysteria illa vetera interpretari:

XXII 9. 15 'evenerat autem isdem diebus annuo cursu completo Adonea *ritu veteri* celebrari, amato Veneris ut *fabulae* fingunt, apri dente ferali deleto, *quod* in adulto flore *sectarum est indicium frugum*'.

Noli neglegere contrarium quod est inter illa 'ritu veteri' 'fabulaeque' et 'indicium'.

Eodem fere modo dicit

XIX 1. 11 '... ut lacrimare cultrices Veneris saepe spectantur in solemnibus Adonidis sacris, quod simulacrum aliquod esse frugum adultarum religiones mysticae docent'.

Quaerit igitur Marcellinus ritus veteris, fabularum veterum 'indicia', 'simulacra' aliqua, quae invenit apud religiones mysticas i. e. apud philosophos.

Etiam quae dicit de Cadmo, atque mediis in rebus militaribus narrandis, magni momenti sunt: XIX 8. 10 'ecce autem Romanum agmen cum equestribus signis disiectum eminus cernimus, quod persequebatur multitudo Persarum, incertum unde impetu tam repentino terga viantum adgressa. § 11 quo exemplo terrigenas illos *non sinibus terrae emersos sed* exuberanti pernicitate *credimus* natos qui quoniam inopini per varia visebantur, σπαρτοι vocitati humo exiluisse, *vetustate* ut cetera fabulosius *extollente*, sunt aestimati'.

Quoniam ita de miraculis dubitat, ne alius quidem locus quidam verbotenus potest intellegi: XXIV 4. 24 'existimabatur Mars ipse — si misceri hominibus numina maiestatis iura permittunt — adfuisse castra Lucanorum invadenti Luscino, hocque ideo creditum est, quod in congressu ..., postridie cum recenseretur exercitus, praecipuo studio

quaesitus reperiri non potuit. ... Sed ut tunc qui esset pulcri facinoris auctor penitus est ignoratum, ita nunc ...'. Nam illud 'si ... permittunt' idem valet ac quod supra protulimus 'si iustum est credi' (p. 19). His enim ac talibus verbis Ammianus narrationi dubitationem addit.

Sed non solum dubitat, num dei ut personae agere possint, verum etiam ipsis verbis dicit eos non personas sed imagines tantum aut partium naturae ('umentis substantiae') aut eventuum naturalium ('arcus caelestis') aut virium naturalium ('vigoris vivifici') esse. XVII 7. 12, ubi de motibus terrae agit, dicit: 'ideoque Neptunum umentis substantiae potestatem Ennosigaeon et Sisichthona poetae veteres et theologi nuncupaverunt. XX 11. 30, describens arcum caelestem pergit: 'et quoniam indicium est permutationis aurae ... ideo apud poetas legimus saepe Irim de caelo mitti, cum praesentium rerum verti necesse sit status'. XIX 4. 2 dicit causas pestilentiarum esse 'nimietatem frigoris aut caloris vel umoris vel siccitatis' atque pergit § 2: 'sed quanto ignis materies ceteris est efficacior, tanto ad perimendum celerior siccitas. § 3: 'hinc cum decennali bello Graecia desudaret, ne peregrinus poenas dissociati regalis matrimonii lucraretur, huiusmodi grassante pernicie telis Apollinis periere complures, qui sol aestimatur'.

Rationali igitur modo interpretatur Ammianus versus illos Il. α 45—52 ita ut dicat ab Appolline i. e. sole, calore, siccitate morbum esse excitatum. Iam verba nonnulla paene philosophica audivimus ('ignis materies ... efficax'), certe philosophos sequitur XVI 5. 5: '(Iulianus) occulte Mercurio supplicabat, quem mundi velociorem sensum esse motum mentium suscitantem theologicae prodidere doctrinae' (quae verba Burckhardtius ita vertit 'das Bewegungsprincip des Weltganzen'). Cf. hic sententias ut has: XX 3. 12 'spiritus cuiusdam interni motu suspensa (sc. terra)' ('internus' fortasse

id quod nos 'immanent'?); et XXI 1. 8 'elementorum omnium spiritus'.

Eodem more philosophico, atque Stoico, Iupiter definitur 'vigor vivificus' et docemur Themidi et nomen (confert scriptor τεθειμένα) et domicilium a 'theologis veteribus' (Pindaro; Olymp. VIII 28) additum esse.

Dei veteres igitur non videntur fuisse dei Ammiani. Huic quoque magna vis est tribuendum, quod Ammianus Ciceronis sententiam ad verbum afferens plures quidem deos nominat (XXI 1. 14), sed antea in ipsius verbis dicit 'volatus avium dirigit Deus (§ 9) et paulo post 'amat enim benignitas numinis ...'.

Tamen caelestes quasdam potestates putat esse in caelo (cf. etiam XXVIII 4. 24, ubi superstitionem quorundam hominum ludibrio habet, qui 'negant esse superas potestales in caelo'); cuius modi sint illae potestates, atque quomodo deos veteres mutare studeat, iam ex hoc loco videas, quem propter vim demonstrandi in fine quaestionis huius ponimus: XXI 14. 3—5: 'ferunt enim theologi in lucem editis hominibus cunctis salva firmitate fatali huiusmodi quaedam velut actus rectura numina (sc. geniis) sociari, ... § 5: itidem ex sempiternis Homeri carminibus intellegi datur, non deos caelestes cum viris fortibus collocutos nec adfuisse pugnantibus vel iuvisse, sed familiaris genios cum isdem versatos ...'.

Itaque pro deis veteribus Ammianus putat genios hominibus sociatos esse; a deis potestas sumpta geniis est translata. Sed quomodo dicat de iis et quatenus coluerit eos, quippe qui sint potestates ut ita dicam philosophicae, id diiudicare tum demum poterimus, cum qualia sint studia Ammiani philosophica aut quae vis sit tribuenda verbis eius de philosophia cognoverimus.

Complectamur igitur quae effecisse nobis videmur: certis verbis se nulli paganorum parti assignat; paganis autem

cum in universum tum Iuliano favere videtur; vituperat tamen 'nimietatem' eius sacrorum; idem cum de sacerdotibus veteris cultus non bene iudicet, in numerum cultorum pristinae religionis referri non potest. Cuius religionis deos non colit, fabulas antiquas rationali modo interpretari studet. Fortasse ex philosophia doctrinas religiosas hausit; quatenus ei philosophica tractanti credere cogamur iam quaeritur.

III. DE PHILOSOPHIA ET DE PHILOSOPHIS.

Quaerentes, quid de rebus philosophicis iudicaverit Ammianus Marcellinus, accurate discernere debemus inter veteris philosophiae vel veterum philosophorum traditas doctrinas atque philosophos eos, qui tunc erant. Philosophi enim illius aetatis, praecipue Iuliano regnante, factio religionis erant haud secus ac christiani, eaque de causa primum id videamus, num steterit Ammianus a partibus vel melius a secta illorum philosophorum.

Summi momenti est locus qui exstat XXIII 5. 11—14: § 11: 'sed calcabantur (sc. Etrusci haruspices) philosophis refragantibus, quorum reverenda tunc erat auctoritas, errantium subinde et in parum cognitis perseverantium diu, et enim ut probabile argumentum ad fidem implendam scientiae suae id praetendebant, quod ...' (sequitur exemplum quoddam; tum addit Ammianus ipse iudicium de illa philosophorum sententia): 'illo minime contemplato, quod ...' (sequitur causa, cur philosophi erraverint). § 12: (aliud omen: miles de caelo tactus). § 13: (haruspices) 'fulmen consiliarium id esse' (monstrant). § 14: 'contra philosophi candorem ignis sacri repente conspecti nihil significare aiebant sed esse acrioris spiritus cursum ex aethere aliqua vi ad inferiora detrusum; aut si exinde praenoscitur aliquid, incrementa claritudinis imperatori portendi gloriosa coep-

tanti, cum constet flammas suapte natura nullo obstante ad sublimia convolare'.

Primum contemplemur § undecimam. Facile intellegemus Ammianum non fuisse unum ex illis philosophis, qui plurimum valebant apud Iulianum. Nam hoc ipsum vituperat, quod Iulianus celerius illorum sententiam secutus sit. Quod ex alio quoque loco elucet: XXII 7. 3: (nuntiatur Iuliano iudicis munere fungenti) 'ex Asia philosophus Maximus; (Iulianus) exsiluit indecore; et qui esset oblitus ... progressus exosculatum susceptumque reverenter secum induxit; ... nimius captator inanis gloriae visus'. Ammiani igitur sententia est illo tempore et philosophos maiorem habuisse auctoritatem et Iulianum iis favisse magis quam deceret. Tamen si quis putet Ammianum omnino philosophos vituperasse atque repudiasse (quod Gimazanius vult [1]), id concedere non possumus. Nam ipsa verba (XXIII 5. 11) 'quorum reverenda tunc erat auctoritas' ne minimam quidem obiurgationem continent; nihil aliud dicunt atque hoc: 'philosophi qui tunc plus valebant quam haruspices eaque de causa haruspicum sententiam probari prohibere potuerunt'. Atque quae sequuntur: 'errantium — perseverantium' certe quasdam quidem philosophorum actiones improbant, sed non actionem eorum omnem omnino aspernantur aut inutilem esse putant. Adiuvatur haec nostra opinio etiam verbis quae in fine huius 11 et in § 12—14 invenimus. Nam eo ipso, quod iudicium facit de sententiis philosophorum eorumque opiniones cum iis quas haruspices protulerunt comparat aperte docet Marcellinus ex sua sententia 'non erravisse' (ut ipsius et Ciceronis verbis utamur, cf. XXI 1. 14) philosophiae 'naturam, sed singulorum coniecturam peccavisse'. Itaque etiamsi neminem esse putamus, qui eum philosophum faciat, tamen

1) p. 84: 'il proteste ... contre l'ascendant qu'avait pris, dans la direction des affaires et même des troupes, le groupe ignorant et obstiné des sophistes qui accompagnaient Iulien'.

eum philosophos parvi aestimasse ex illis quidem locis non sequitur.

Prorsus autem error Gimazanii convincitur his quae sequuntur: Ipse enim Marcellinus Iulianum philosophiae studio deditum fuisse summa laude commemorat: XVI 5. 5—10: 'et incredibile quo quantoque ardore principalium rerum notitiam celsam indagans ... per omnia philosophiae membra ... currebat' (§ 6). — 'et haec quidem pudicitiae virtutumque sunt signa nocturna' (§ 8). — 'philosophus' — (§ 10). Atque philosophus ille Maximus, quempropter vituperatur Iulianus XXII 7. 3 et qui est inter illos XXIII 5. 11 philosophos 'quorum auctoritas ...', idem commemoratur XXV 3 23, ubi Ammianus mortem Iuliani ut praeclaram et imitandam describit: 'Iulianus cum Maximo et Prisco philosophis super animorum sublimitate perplexius disputans .. '. Quin etiam, ne laus quidem deest plana eius atque praeclara. Nam XXIX 1. 42 narrat eum capitis damnatum esse; 'Maximus ille philosophus, vir ingenti nomine doctrinarum, cuius ex uberrimis sermonibus ad scientiam copiosius Iulianus extitit imperator, ... sensit docente periculo postremo quaesitoris iniquitatem omnibus esse criminibus graviorem'. Praeter Maximum alii quoque philosophi multi eius temporis laudibus efferuntur: Pasiphilus XXIX 1. 36; Simonides XXIX 1. 37; Demetrius Chytras XIX 12. 12 [1]); Iphicles XXX 5. 8; alii. Epigonius autem, qui accusatus (XIV 7. 18) 'mortis metu admoto turpi confessione cogitatorum socium, quae nulla erant, fuisse firmaverat', 'amictu tenus philosophus' nominatur (XIV 9. 5). Nonne his verbis dilucide sententiam suam prodit: philosophi esse fortiter mortem subire? Sed num potest laus melior tribui muneri philosophorum, quam quae exstat his duobus locis, qui op-

1) Valesius putat eum fuisse Cynicum, commotus verbis 'corpore durus et animo'. Recte fortasse; tamen fieri etiam potest, ut his verbis praecipue laudare eum studuerit scriptor.

time inter se congruunt? XXII 4. 1 'non ut philosophus viritatis indagandae professor', et XXX 5. 9 'ut philosophus veritatis professor'. Quis est qui his verbis cognitis neget Ammianum munus philosophorum etiam sui temporis permagni aestimavisse?

Locus quoque XIV 6. 18 adhiberi potest ubi Ammianus vitia Romanorum vituperans queritur, quod 'pro philosopho cantor accitur'. Sed cum id non iam spectare videatur ad philosophos quatenus secta religionis erant, sed fortasse magis ad ipsam philosophiam quatenus apta est ad animos erudiendos, transeamus nunc ad quaestionem alteram tractandam. Quid igitur dicit Ammianus de philosophia?

Proficiscamur ab amore quo Marcellinus litteras colit colique vult. Loco eo, quem modo attigimus, vituperat Romanos gravissime quod litteras omnes neglexerint: XIV 6. 15 'homines enim eruditos et sobrios ut infaustos et inutiles vitant'. § 18 '... paucae domus studiorum seriis cultibus antea celebratae nunc ludibriis ignaviae torpentis exundant ... denique pro philosopho cantor et in locum oratoris doctor artium ludicarum accitur et bybliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis organa fabricantur hydraulica ...'. § 19 'postremo ad id indignitatis est ventum, ut cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab urbe praecipites, sectatoribus disciplinarum liberalium ... extrusis tenerentur mimarum[1]) adseclae veri quique id simularunt ad tempus et 3000 saltatricum ... remanerent'.

Fortasse Ammianus eo magis iratus est, quod ipse tulit molestias eiusmodi (Burckhardtius p. 490). Certe se adnumerat illis 'hominibus eruditis et sobriis', 'cultoribus studiorum', 'sectatoribus disciplinarum liberalium', certe ipse favere 'philosophis et oratoribus' atque amans 'bybliothecarum' videri vult.

1) Vel 'minimarum', Gardth.

Simili modo queritur XXVIII 4. 14: 'quidam detestantes ut venena doctrinas Iuvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes ...'. Itaque studia illa, quae laudat nominatque 'seria' (XIV 6. 18) non consistunt in legendis poetis scriptoribusque levioribus, sed in lectitandis operibus gravibus atque 'sobriis'. Veterum libri colendi sunt, 'subagreste ingenium nullis vetustatis lectionibus expolitum' (XXX 4. 2) ei ludibrio est [1]. Atque ut sit tibi persuasum studia illa praecipue philosophica esse conferas quae Michael [2]) dicit de studiis eius atque imitatione Ciceronis p. 9 'Maxime Ammianus Ciceronis sapientiam admiratus praecepta institutaque philosophiae ab eo tradita animo suo impressit', et quae sequuntur usque ad pag. 15. Unde apparet Marcellinum hausisse ex Ciceronis libris cognitionem cum linguae latinae tum doctrinarum philosophicarum.

Ad philosophiam igitur cogimur haec quoque verba referre: XXIX 2. 18 'o praeclara informatio doctrinarum, munere caelesti indulta felicibus, quae vel vitiosas naturas saepe excoluisti! ... ut sapientes definiunt ...' (quae Michael p. 14 cft. cum Cic. ad Qu. fr. I 1, 2, 7). Item ad Ciceronem ut philosophum spectat XXX 8. 14 '... ut sapientes docent ...' (Michael p. 9 = ad Qu. fr. I 1. 8. 24). Etiam de divinatione affert Ciceronis sententiam XXI 1. 14, atque sim. saepius.

Itaque in studiis illis quae poscit philosophiam non ultimum locum obtinere nos demonstravisse speramus. Vi-

1) Non inutile esse arbitror discrimen illud indicare quod est inter Ammiani et Taciti de philosophia sententias. Nam Ammianus, XIV 6. 1: 'Orfitus ... splendore liberalium doctrinarum minus quam nobilem decuerat institutus'; contra Tacitus: Agricolae cap. 4: 'se ... studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse'.

2) De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis. Diss. inaug. phill. quam scripsit. ... Hugo Michael. Vratislaviae 1874.

deamus nunc, num aut quatenus ipse philosophorum doctrinis imbutus sit.

Atque primum quid esse velit philosophorum ipse ostendit nominibus variis illos appellans: 'philosophi' nominantur XIV 6. 18; 'sapientes' XXIX 2. 18 et al.; 'scrutatores causarum intellegibilium' XX 3. 3; 'qui scrutantes seriem et sublimia naturae pandere conantur' (= philosophi Celtarum, euhages) XV 9. 8; 'theologi' (vel 'theologicae doctrinae') XXI 14. 3; (XVI 5. 5); 'physici' ('physicae rationes') XXI 1. 11; (XX 11. 26); 'mathematici' XV 1. 4; 'geometrica ratio' XX 3. 2; 'periti (vel 'ratio' vel 'consideratio') mundani motus et siderum' XXVI 1. 8; (XXIII 6. 33; XXII 16. 17). Varias igitur philosophiae partes non ignoravit.

Philosophorum veterum nomina permultorum affert, saepius quidem narrans narratiunculas quae minime ad philosophiam ipsam spectant. Ita interdum philosophi quidam laudantur ob vim memoriae, ob sagacitatem animi, ob constantiam, ob discendi cupidinem, alias virtutes: Zeno Stoicus XIV 9. 6; Hippias Eleus 'sophistarum acerrimus' XVI 5. 8; Metrodorus XXV 4. 23; Peregrinus Proteus XXIX 1. 39; — Socrates XVI 7. 4; XXVIII 4. 15; XXI 14. 5; Aristoteles XXVII 4. 8; Plato XXIII 6. 32; Pythagoras XV 9. 8; XXI 14. 5; XXII 16. 21; Archimedes, Meton, Euctemon, Hipparchus XXVI 1. 8. Sed etiam accuratius tradit nonnulla de vitis vel de sententiis quorundam: XV 1. 4 (Democritus, Anaxarchus); XVII 7. 11 et 12 (Aristoteles, Anaxagoras, Anaximander); XXI 14. 5 (cum alii tum Plotinus); XXI 16. 14 (Ephesius Heraclitus); XXII 8. 5 et 16. 22 (Anaxagoras)[1]; XXX 4. 3 (Plato, Epicurus, Tisias, Gorgias). Saepius Aristoteles laudatur (XVII 7. 11; XVIII 3. 7; XXI 1. 12; XXVII 4. 8). De Cicerone autem cf. quae contulit Michael.

1) Si coniecturam Valesii sequimur, hoc loco Platonem quoque legimus.

Quibus fontibus usus sit Ammianus, id quaerere non est nostrum. Sed sive ipsorum quos laudat philosophorum libros inspexit, sive ea quae alii congesserunt perlegit, certe historiae philosophiae operam dedit.

Quaeritur, quos fructus ex philosophia ipsa ceperit. Neglegere possumus, quoniam nos non attingunt, omnia quae ad ethicen spectant. Longum quoque est locos totos quibus res philosophicas tractat Marcellinus exscribere [1]). Itaque liceat nobis sententias tantum illas, quae maximi momenti sunt, collectas ordine afferre. XV 9. 8 'quaestiones occultarum rerum altarum'; XX 11. 28 'ut terrenae existimant mentes'; (sim. saepissime); XX 3. 12 admonet 'aethera' et mundum inferiorem' esse verba modi dicendi cotidiani et vulgaris (cf. XIV 11. 25 'humanarum mentium opinione lunari circulo superpositum'); 'siderea corpora nec occidere nec oriri'; XXV 2. 5 'corpora enim qui credit caelitus posse labi, profanus merito iudicatur et demens'; XV 1. 4 'mundorum infinitates' (Anaxarchus); (docent mathematici) 'ambitus terrae totius ... ad magnitudinem universitatis instar brevis obtinet puncti'; XX 3. 12 'rerum magnitudini instar exigui puncti'; XX 11. 26 'noster mundus (= caelum), quem sphaerae dimidiae parti' (superponunt physici); XX 3. 4 'lunaris globus, astrorum omnium infimus'; XIV 11. 25 'lunaris circulus ...' (v. s.!); XXI 1. 11 'sol (ut aiunt physici) mens mundi' (cf. XVI 5. 5); XX 11. 28 'eius (sc. solis) fulgores purissimi'; XXVII 4. 14 'radios solis suapte natura vitales ... nullis adhuc maculis rerum humanarum infectos';

1) Quos locos invenies XIV 11. 18 (de somno et somniis); XIV 11. 25—26 (de Nemesi); XIV 11. 27—34 (de inconstantia fortunae); XVII 7. 9—14 (de terrae motibus); XX 3. 1—12 (de defectu solis deque variis lunae mutationibus; praecipue § 12: de forma mundi); XX 11. 26—30 (de arcu caelesti); XXI 1. 8—14 (de artibus futura praenoscendi); XXI 14. 2—5 (de geniis); XXV 2. 5—6 et 10. 2—3 (de cometis); XXVI 1. 8—14 (de ratione bissexti). Minores loci exstant XV 1. 4; 9. 8; XVI 5. 5; alii.

XXVI 1. 8 'sol perenni rerum sublimium lege polo percurso' (cf. XX 3. 12 'stellae, quarum ordo sempiternus est'); XXI 1. 8 'elementorum omnium spiritus, utpote perennium corporum praesentiendi motu semper et ubique vigens'; XVI 5. 5 'Mercurius, quem mundi velociorem sensum esse ... theol. prodidere'; XXIX 2. 18 'homo qui pars mundi est'; XXI 1. 11 'sol, mens mundi, nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans'; XVI 5. 5 'Mercurius ... (mundi sensus) motum mentium suscitans'; XXI 14. 5 (animas) 'puras et a conluvione peccandi inmaculata corporis societate discretas'; XXV 3. 15 (ex oratione Iuliani:) 'philosophorum sententia generali perdoctus, quantum corpore sit beatior animus'; XV 9. 8 (druidae) 'despectantes humana pronuntiarunt animas immortales'; XXX 1. 22 'si quis vita digressis dolor est'; XIV 11. 18 'solutus enim corporeis nexibus animus semper vigens motibus indefessis et cogitationibus subiectus et curis, quae mortalium sollicitant mentes, colligit visa nocturna, quas φαντασίας nos appellamus'; XXI 1. 12 'somniorum fides', 'cum animantis altius quiescentis ocularis pupilla neutrubi inclinata rectissime cernit'. Praeterea omnia quae exstant de geniis (imprimis XXI 14. 2—5; XXI 1. 8); quae infra tractabuntur.

Videmus igitur plurima bene inter se congruere, certe Ammianum verbis et sententiis philosophicis sollerter uti. Qua de causa tribus iam argumentis fit verisimile Ammianum ipsum diligenter doctrinas philosophorum menti suae imprimere studuisse eorumque scripta nonnulla legisse: 1) quod ipse studia cum alia tum philosophica laudat atque coli iubet; quod 2) in historia philosophiae, 3) in sententiis philosophicis versatum se praebet. Fortasse cruda pauca quae refert, certe non est ipse philosophus[1]; hoc tamen

---

1) Sed mirum est illud quod Gimazanius dicit de hac re p. 85 'ce sont de purs morceaux' etc. Dolendum est quod sententiam suam homo doctus noluit certioribus argumentis demonstrare. Concedimus

negari non potest eum philosophiam ad excolendas sententias suas de rebus divinis adhibuisse.

IV. DE GENIIS. DE NEMESI, DE FORTUNA, IUSTITIA, ALIIS NUMINIBUS.

Redeamus nunc ad eam quaestionem quam supra p. 29 intermisimus. Vidimus Ammianum pro diis veteribus ponere genios. Totum igitur iam locum quem attigimus exscribamus: XXI 14. 1: 'in hoc rerum adversarum tumultu haerens eius (sc. Juliani) fortuna iam et subsistens, adventare casum vitae difficilem ... monstrabat. ... § 2. post haec confessus est iunctioribus proximis, quod tamquam desolatus secretum aliquid videre desierit, quod interdum adfuisse sibi squalidius aestimabat, et putabatur genius esse quidam tutelae salutis adpositus eum reliquisse mundo citius digressurum. § 3. ferunt enim theologi in lucem editis hominibus cunctis salva firmitate fatali huius modi quaedam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes. § 4. idque et oracula et auctores docuere praeclari. ... § 5. itidemque ex sempiternis Homeri carminibus intellegi datur, non deos caelestes ... adfuisse pugnantibus vel iuvisse sed familiaris genios cum isdem versatos, quorum adminiculis freti praecipuis Pythagoras enituisse dicitur et Socrates ... atque Plotinus, ausus quaedam super hac re disserere mystica, alteque monstrare, quibus primordiis hi genii animis connexi mortalium eas tamquam gremiis suis susceptas tuentur, quoad licitum est, docentque maiora, si senserint puras et a conluvione peccandi inmaculata corporis societate discretas'. —

Ammianum libenter et saepe scientiam suam litterarum ostendere; sed ex hac re nondum sequitur (ex mea quidem sententia) eum scientiae illius expertem fuisse.

Itaque non solum vulgares de geniis opiniones accepit Marcellinus, sed etiam philosophos de hac re consuluit. Tamen negat Gimazanius (p. 85) eum re vera ea quae dicit de geniis vera putavisse. Certe fieri potuit, ut Ammianus uno loco opiniones aliorum afferret quas ipse non putabat rectas verasque. Sed nonnumquam etiam genios agentes facit saepiusque eos in narrationibus commemorat.

Nullius quidem momenti est, quod 'Genii templum' commemorat XXIII 1. 6, maioris iam quod (ut iam comperimus) Georgii episcopi dictum 'quam diu sepulcrum hoc (sc. templum Genii) stabit'? vituperat. Neque magnam vim attribuimus locis duobus his: XV 8. 21: 'salutarem quendam genium adfulsisse' (clamat plebs); et XXIV 2. 21: idem. Sed quod exstat XVI 12. 13 'salutaris quidam genius praesens ad dimicandum eos ... incitabat' vix figura tantum dicendi esse potest. Atque praeter XXI 14. 2 duobis locis narratur genium quendam visum esse: XX 5. 10 'nocte ... per quietem aliquem visum, ut formari genius publicus solet ... dixisse'; et XXV 2. 3 (Julianus) 'somno ... depulso ... vidit squalidius ... speciem illam genii publici, quam ... conspexit in Galliis, velata cum capite cornucopia per aulaea tristius discedentem'. Genios denique dici XXI 1. 8 nemo est qui neget: 'et substantiales potestates ritu diverso placatae, velut ex perpetuis fontium venis, vaticina mortalitati suppeditant verba ...'.

Itaque, quoniam et describens geniorum naturam et narrans eos saepe hominibus adfuisse genios commemorat, non habemus quod Ammianum esse genios credere negemus. Simili modo etiam Nemesin appellat genium XIV 11. 25 'vel ut definiunt alii substantialis tutela generali potentia partilibus praesidens fatis'. Sed in hoc ipso loco offendimus. Nam quamquam genios fata regentes facit, tamen non aperte dicit se Nemesin in numero geniorum ducere. Addit enim ut definiunt alii'. Hinc ad eam quaestionem pervenimus,

utrum Nemesin re vera deam an qualitatem quandam numinis putet, porro utrum Bellona, Furiae, Manes, Fama, Iustitia, denique Fortuna re vera ei sint deae sive genii, an, ubi dicit ita, figurae tantum dicendi exstent.

Primum enim quod attinet ad Nemesin, solet Ammianus, ut non iam ignoramus, aliorum varias opiniones congerere ita quidem, ut pauca de fontibus addat. Liceat igitur exempli gratia hunc ipsum locum, ex quo consuetudinem eius referendi cognoscamus, ita disponere ut in dextra pagina quae refert, in sinistra quae de fontibus addit, collocemus (XIV 11, 25):

	'haec ... ultrix facinorum impiorum bonorumque praemiatrix aliquotiens operatur Adrastia ... quam vocabulo duplici etiam Nemesim appellamus: ius quoddam sublime numinis efficacis,
humanarum mentium opinione	lunari circulo superpositum,
vel ut definiunt alii	substantialis tutela generali potentia partilibus praesidens fatis, quam
theologi veteres { fingentes	Iustitiae filiam
{ tradunt	ex abdita quadam aeternitate omnia despectare terrena'.
	§ 26: 'Haec, ut regina causarum et arbitra rerum ac disceptatrix urnam sortium temperat ... pinnas autem ideo illi
fabulosa vestustas aptavit, ut existimetur	adesse velocitate volucri cunctis,

et dedit	praetendere gubernaculum
et subdidit	ei rotam,
ut non ignoretur	universitatem regere per elementa discurrens omnia'.

Maxima ex parte refert Ammianus; unum tantum cognomen addit Adrastiae sine reclusione: 'ius quoddam sublime efficacis numinis'. Deam autem vel personam divinam pinnis et gubernaculo et rota ornatam paene negat esse. 'Theologi veteres' et 'alii' (philosophi) et 'fabulosa vetustas' coniuncti ius illud numinis humana specie induerunt [1]). Itaque totus locus atque ea quae sequuntur usque ad finem libri XIV ('haec fortuna mutabilis' § 30; 'quae omnia si scire quisquam velit quam varia sint et adsidua' § 34) omnia illa nihil aliud sunt ac pii utilesque de inconstantia rerum humanarum et iustitia regiminis mundi sermones.

Neque mutatur hoc nostrum iudicium alterius qui exstat de Nemesi loci verbis: XXII 3. 12 (Eusebius) 'quem ... elatum ideoque intolerabilem, humanorum spectatrix Adrastia aurem — quod dicitur — vellens monensque ut castigatius viveret, reluctantem praecipitem tamquam e rupe quadam egit excelsa'. Immo varietate et confusione imaginum facile cognoscetur haec omnia esse verba translata atque poetica.

Sed quid de Iustitia ceterisque iudicabimus? Prius-

1) Accuratius hunc locum perscrutantes videmus de Ammiani consuetudine referendi eadem valere quae de modo dicendi atque imitandi dicit Michael p. 16: 'flosculos modo recte exhibet, modo cum suis verbis permiscet, modo mutat, ut dubitari nequeat, quin memoriter omnes protulerit ... fieri non potuit, quin ... etiam ignarus ea proferret quae apud alios legerat'.

Nam memoria tenens varias apud varios scriptores lectas opiniones miram illam confusionem perfecit: 'ius numinis' — lun. circ. superpositum'. — Quae ipsa varietas et confusio sententiarum demonstrat Ammianum et non pauca legisse et ipsum — etiamsi non ad planum quoddam perfectumquae iudicium pervenit — saepius cogitasse de hac re.

quam ad eam quaestionem transimus, addimus nos Fortunam, quippe quae apud Ammianum permultum valeat atque multo maioris momenti sit, a ceteris separatam postea tractaturos esse.

Loquitur Marcellinus de fama hoc modo: XVIII 6. 3 'credimus — neque enim dubium est — per aerios tramites famam praepetem volitare, cuius indicio haec gesta pandente ...'; ita etiam Bellona dicitur 'in clades Romanas solito immanius furens' (XXXI 13. 1) et multa sim.

Locis eiusmodi lectis facile fieri potest, ut putet quispiam Bellonam, Furias, Famam, Manes, Iustitiam esse re vera deas (ut Cartius p. 26).

Tamen alia exempla afferri possunt permulta quae demonstrant saepissime Ammianum res quasdam quae nullo modo personae esse possunt, ita appellare ut uni cuique primo obtutu personae videantur. Plurimis omissis haec tantum proferimus: XIX 12. 13: 'aequa sors, veritatis adiutrix'; XXI 13. 12 'invidia, turbarum acerrima concitatrix'; XXI 13. 13 'aequitas parens nutrixque orbis Romani'; XXIII 5. 21 'aviditas, insidiatrix militis'; XXIII 6. 25 '(regio!) altrix philosophiae veteris'; — XV 5. 38 '(adulatio) est perniciosa vitiorum altrix'; XVII 8. 2 'ut est difficultatum paene omnium victrix ratio'; — XXII 6. 5 'aequitate ipsa dictante'; XXI 10. 3 'tamquam natura in dicionem Romanam redigendas nationes ... praenoscente'; XXIX 2. 18 'o praeclara informatio (cas. voc.!) doctrinarum, ... quae ... excoluisti!'; — XXX 10. 2 'navis periculorum'; XVI 3. 3 'bellorum inundantium molem umeris suis quod dicitur vehens'.

Contra verbi quod primitus personam indicabat, postea autem ea significatione privatur exemplum hoc unum producimus: 'Mars' enim praeter illos locos quos iam tractavimus, saepissime dicitur pro 'bello', 'pugna': aequo Marte XVI 12. 5; acerrimo M. XIX 1. 9; incitato M. XXIII 6. 22; diuturno M. XXIII 5. 20; anceps Mars XXXI 12. 14; im-

pari Marti XXIX 5. 29; hoc Marte XXVI 8. 11; Martis ambigua XIV 10. 14; etiam adiectivum 'Martius' innumeris locis exstat: opus Martium XXXI 7. 2; munus M. XV 12. 3; pulvis vel pulveres M. XVI 1. 5 et saepissime; vox M. XXXI 7 11 et mult. al. sim.

Sed praeter exempla aliorum verborum etiam loci qui sunt tractandi nobis ipsi praebent argumenta tria voces illas non personas sed figuras dicendi esse:

1. saepius enim addit Ammianus aliquid, ne putes verbotenus esse ea quae dicit intellegenda: XXI 9. 3 'fama, quae ut aiunt ...'; XXII 3. 12 'aurem — quod dicitur — vellens'; XXIV 7. 4 'tamquam funesta face'; XXXI 10. 1 'velut cuncta cientibus furiis'.

2. a compluribus illorum verborum etiam nomina adiectiva derivata sunt, unde apparet propriam vim ab iis alienam esse: Martius qu. v. s.; furiales (faces XXXI 5. 4 cf. Bellonae faces; unci XIV 11. 17).

3. imagines saepe ita confunduntur et permiscentur ut fieri non potuerit, quin Ammiano ipsi non planae essent: XXXI 1. 1 'Fortunae volucris r o t a ... Bellonam furiis adscitis a r m a b a t' — rota igitur armat Bellonam!! XXIX 2. 21 'coetus furiarum horrificus ... ab eadem urbe digressus cervicibus Asiae totius insedit hoc modo ...'. Num 'cervices' propriam vim tenere possunt? Atque si verba verbotenus intelleguntur, quid sibi vult illud 'hoc modo'?!

Itaque non solum ut Cartius vult 'lar, lares', non solum 'vino Venerique indulgens', non solum 'Mars', sed etiam 'Bellona', 'Furiae', 'Fama', 'Manes' [1]) sunt verba tumidioris sermonis, quae nihil evincunt.

---

1) De Bellona cf. XXI 5. 1; XXIV 7. 4; XXVII 4. 4; XXVIII 1. 1; XXIX 2. 20; XXXI 1. 1; XXXI 13. 1; de Furiis XXII 16. 3; XXVIII 2. 11; XXIX 1. 33; 2. 21; XXXI 1. 1; 5. 4; 10. 1; (XIV 11. 17); de Fama XIV 10. 14; XVIII 6. 3; XXI 9. 3; XXV 8. 13; XXXI 5. 8; de Manibus XXIII 5. 17.

Etiam quod iustitiam[1]) saepius ut personam agentem facit Ammianus, nihil demonstrat nisi forte eum numen, vel regimen mundi iustum atque aequum habuisse.

Restat, ut de genio Fortunae loquamur. Sed priusquam ad eum transimus, addenda nobis sunt pauca de verbo fortunae.

Non solum nos ipsi vitam nostram destinamus. Nascimur sine nostra opera et morimur. Atque quidquid facimus, rerum, in quibus sumus, ratio nobis habenda est. Sed quoniam fieri non potest, ut in omnibus quae nobis proposuimus omnes noverimus causas, extrinsecus semper consilia nostra aut iuvantur aut prohibentur. Itaque credere cogimur extra nos esse potestates quasdam, quae nobis aut prosint aut noceant. Quas potestates, sive condiciones et res esse putamus, per quas vita nostra destinatur, sive personas certas divinas, uno nomine appellamus: fortunam. Per fortunam igitur dicuntur et ea quae accidunt nobis non per nos sed aliunde et vires eae quae extra nos sunt.

Apud Ammianum illae notiones aliquantum confusae inveniuntur. Exempli gratia XIV 11. 29 verbis 'assumptus in amplissimum fortunae fastigium' inest notio fortunae = bonae condicionis, rerum secundarum; sed quod pergit Ammianus: 'versabiles eius motus expertus est, qui ludunt mortalitatem ... § 30: haec fortuna mutabilis et inconstans fecit ...' — manifestum est eum de fortuna ut persona, dea fortasse, cogitare. Porro de XIV 6. 3 ('virtus convenit atque fortuna plerumque dissidentes') idem iudicium facere debemus ac modo de 'iustitia' fecimus: haec verba sunt tumidioris sermonis, quo res ut personae agentes fiunt.

2) De Iustitia cf. XXII 3. 7; 10. 6 = XXV 4. 19; XXVIII 6 1; XXXI 15. 7; vigor Iustitiae XXX 2. 9; oculus Iustitiae XXVIII 6. 25; XXIX 2. 20. Quod autem ad XIV 11. 25 vid. quae adnotavimus p. 40.

Contra fortuna quae memoratur XXII 9. 1 ('velut mundanam cornucopiam Fortuna gestans') sine ullo dubio vetus illa dea est.

Tamen hae notiones 'fortunae' discerni possunt: 1) Fortuna est dea quaedam: XXV 4. 14; XXX 5. 18; 2) huius fortunae libidines: XXXI 13. 19; 3) simile aliquid ac fatum: regimen casuum humanorum, lex quaedam vitae: XV 5. 1; 4) eadem fere fortuna ac fort. 3, sed singularis singulis hominibus data: XIV 10. 16; 5) fors, casus: XIV 6. 3; 6) ea quae sunt futura, incerta, ventura: XXXI 10. 7; 7) ea quae prospere eveniunt: XVIII 10. 4; 8) ea quae nobis data sunt: a. locus atque ordo noster XX 8. 11; b. condicio nostra XXVII 12. 7; c. opes atque potestas XVI 12. 59; d. divitiae XXX 4. 21. —

Hoc loco ea quaestio nobis tractanda est, quatenus fortuna Ammiano dea, sive persona quaedam divina fuerit. Coluitne veterem illam deam? Commemoravimus iam locum, de quo dubitari non potest XXII 9, 1 'velut mundanam cornucopiam Fortuna gestans'; simil. XXVI 8. 13 'quivis beatus versa rota Fortunae ante vesperum potest esse miserrimus'; XXXI 1. 1 'Fortunae volucris rota, adversa semper prosperis alternans, Bellonam ... armabat ...'; XXV 4. 14: 'cervicibus Fortunae ... evectus'; XXVII 11. 2 'hunc quasi genuina quaedam Fortuna, ut fingunt poetae, vehens praepetibus pinnis nunc beneficum ostendebat ... aliquotiens ...'.

Dubium non est: dicit veterem deam Fortunam. Dicit, sane. Sed num Fortunam esse deam credit? — Noli neglegere adiunctiones illas: 'velut' — 'quasi' — 'ut fingunt poetae'; contemplare modos imaginum: rotam, pinnas, cornucopiam; imaginumque confusiones: 'rota ... armabat' (cf. s. p. 42); recordare quae iam comperimus: Ammianum poetarum usum loquendi imitari: — num dubitas quin omnes illae sententiae sint figurae tantum dicendi, a poetis veteribus receptae?

Porro neque maioris momenti est, quod fortunam agentem facit his ac talibus locis: XIV 6. 3 'Virtus atque fortuna, plerumque dissidentes (convenerunt ut Romam augerent)'; XXVI 2. 9 'dabit enim fortuna, consiliorum adiutrix bonorum, ... (virum nobis ...)'; XVI 5. 1 'fortuna adponit mensam ambitiosam, virtus parcam'. Quibus locis fortuna minime dea putatur.

Attamen non numquam commemorat Marcellinus fortunam eodem modo, ac dicit de geniis: XXX 5. 18 'nocte ... videbat coniugem suam absentem sedere passis capillis ...: quam aestimari dabatur Fortunam eius esse cum taetro habitu iam discessuram'. Quem locum conferas cum XXV 2. 3 et videbis hanc fortunam esse omnino illum genium. Fortasse his quoque locis genius dicitur XIV 10. 16 'quod norat (contio militum) expeditionibus crebris fortunam eius in malis tantum civilibus vigilasse'; XXI 14. 1 'haerens eius fortuna iam et subsistens, adventare casum vitae difficilem ... monstrabat'. Sed res non aperta est; atque iis locis ut XVIII 5. 8 ('fretus fortunae suae') certum esse mihi videtur 'fortunam' idem esse ac 'felicitatem'. Neque melius perspici potest, utrum genius publicus laudetur an exemplum sermonis tumidioris exstet duobus locis his: XXV 9. 7 'tu hoc loco, Fortuna orbis Romani, merito incusaris, quae ... regimenta ... consummando iuveni porrexisti'; et XXXI 13. 19 'Romani aliquotiens reflante Fortuna ... cesserunt'.

Sed ab hac ipsa et nostra et Ammiani dubitatione proficiscentes facile diiudicare possumus. Nam hoc constat Ammianum esse genios credidisse. Quoniam fortunae (quamquam non personae divinae) tantam potentiam tribuit, factum est ut geniis quibusdam etiam nomen fortunae dederit. Hae fortunae igitur, sive genii, 'sociantur hominibus in lucem editis, regunt eorum actus, videntur tamen admodum paucissimis' (cf. XXI 14. 3). Sed caveas ne putes Fortunam

illam veterem ab Ammiano genium haberi. Non Fortunam, sed Fortunas colit.

Itaque si complectimur quae comperta habemus, videmus Ammianum doctrinas quas affert de geniis ex philosophia hausisse. Certe non ad perfectam atque absolutam de hac difficili re pervenit sententiam, tamen re vera esse genios credidisse eosque interdum 'fortunas' nominasse videtur.

Sed quod diximus (p. 28) a diis potestatem sumptam geniis esse translatam, non ita est intellegendum deos veteres quasi in genios mutatos esse. Neque illae minores deae (Fama, Iustitia, Fortuna) genii sunt; sed genii Ammianei toto genere ab illis veteribus deis diversi sunt[1]: 'substantiales enim tutelae', singulis 'hominibus sociati'.

V. DE NUMINE ET DEO.

Tres quaestiones de numine et deo instituendae sunt: quomodo verba numinis et dei adhibeantur atque num discrimen aliquod sit inter ea; quomodo res humanas per numen et deum regi crediderit Marcellinus; cuius religionis ex doctrinis notionem dei hauserit.

Cognomina addit Ammianus numini haec: magnum XXIX 5. 40; summum XV 8. 9; XVII 7. 3; XXI 13. 14; XXVI 6. 9; superum XVI 12. 18; XXV 8. 3; supernum XIV 11. 24; XV 2. 8; XVI 12. 62; — caeleste XIX 1. 4; XXVI 1. 5; XXVII 6. 8; XXXI 16. 4; divinum XIX 10. 4; XXVI 1. 14; — sempiternum XVII 13. 28; XXIIII 5. 19;

1) Corrigendum igitur est iudicium quod Burckhardtius facit de Ammiano p. 262 et 263: 'die einzelnen Götter bleiben, wenn auch nicht direkt als Dämonen, so doch als fast persönlich gewordene Eigenschaften' et qu. sq. — Burckhardtius enim neglexit discrimen illud quod est inter opiniones ab Ammiano tantum relatas et ipsius iudicia. Illud quod dicit 'fast persönlich gewordene Eigenschaften' ortum est non ex cultu deorum, sed ex usu loquendi poetarum.

XXV 3. 19; XXXI 10. 18; perpetuum XXIX 2. 20; aeternum XXV 7. 5; — efficax XIV 11. 25.

Ad illa accedunt ea cognomina quae iam destinatum esse numen significant: laevum XIV 11. 12; XXXI 4. 9; (offensum) XXV 10. 1; propitium XXIX 6. 7; (propitiatum) XVI 12. 52; Sine ullo cognomine numen exstat XIV 10. 12; XXI 1. 9; XXIV 4. 1; XXVII 3. 15; XXIX 1. 31. Rarius invenimus deum commemoratum; numen enim 33ies, deus autem 13ies exstat. Huc accedit quod deus plerumque est in orationibus quas duces christiani vel christiano modo loquentes habent. Deinde, quod deus quater nominatur 'caelestis' (XV 8. 10; XVI 12. 13; XXI 5. 3; XXV. 7. 5), ceteris autem locis sine cognomine laudatur, inde concludere possumus deum potius nomen proprium esse = 'Gott', numen autem, quod nos dicimus 'die Gottheit'. Quin etiam XXV 7. 5 dicitur 'aeternum dei caelestis numen'; quibus rebus commoti dubitare non possumus, quin Ammianus, etiamsi fortasse de eo non plane sibi conscius fuit, discrimen aliquod fecerit inter numen atque deum.

Praeter numen et deum alia quoque verba tribuit Ammianus regimini divino: superae potestates dicuntur XXV 3. 17 et XXVIII 4. 24; divina XVI 10. 14; divina remedia XVI 12. 12; divinitus XVII 13. 26; divinitas (= deus christianorum) XXVII 7. 6; praeterea saepissime adiectivum caelestis usurpatur: cael. cura XVIII 3. 1; praesidium XIX 6. 7; adiumenta XXI 13. 12; nutus XX 5. 4; ratio XIX 11. 17; decreta XXV 2. 4; et nonnullis aliis locis.

Hoc igitur constat Ammianum potius notione aliqua parum definita uti quam proprio nomine 'dei', superasque potestates ei magis esse regimen mundi quam personam quandam divinam.

Secunda erat quaestio num re vera Ammianus deum (vel numen) esse crediderit aut quomodo a deo mundum regi dicat.

Gimazanius breviter de hac quaestione diiudicat atque censet 'c'est que de fait, ces affirmations étaient un langage de pure convention' (p. 338). Atque certe videtur multis locis Marcellinus consuetudinem dicendi vulgarem secutus esse. Tamen denuo locos omnes percenseamus.

Primum quidem eos excutiamus qui in orationibus aliorum exstant: XIV 10. 12; XV 8. 9; XVI 12. 18; XXI 13. 14; XXIII 5. 19; XXV 3. 19; XXVII 6. 8; XXIX 1. 31; — XV 8. 10 et 14; XVI 12. 13; XXI 5. 3 et 5; XXIV 3. 6; XXVII 6. 6; — XX 5. 4; XXI 13. 12. Hos quoque neglegemus, quibus alio quodam modo se excludere videtur: XXIV 4. 1; — XVII 13. 34; XXIV 1. 1 et al. Neque magnam vim tribuimus his et similibus sententiis: XVI 12. 62 'quibus ita favore superni numinis terminatis'; XXIX 5. 40 'hoc ei magni numinis adiumento gerenti prosperrime'; XVIII 6. 3 'prosperante deo'; XVIII 3. 1 'haec dum in Galliis caelestis corrigit cura'; et omn. eiusmodi. Quae sententiae nihil aliud dicunt atque hoc: 'quod prospere evenit' vel simile aliquid.

Sed num haec quae sequuntur verba sint figurae tantum dicendi nescio: XXXI 16. 4 'quos inferentes sese immodice ... hoc casu caeleste reppulit numen ...'; et XXV 7. 5 'erat tamen pro nobis aeternum dei caelestis numen'. Nam cum servamur ex gravi periculo (id quod narrat Ammianus illis locis), libenter Deum laudamus.

Sed etiam firmis argumentis demonstrare nos posse arbitramur Ammianum deum re vera esse credidisse: Concedimus enim eo, quod narrationi saepius aliquid de deo additur, non iam probari illud, sed tales adiectiones facile figuras dicendi esse; concedimus fieri posse, ut in excursu philosophico aliorum opiniones in animo habeat: — sed ubi videmus et illas narrationis adiectiones et hos philosophicos excursus bene inter se congruere, dubitari iam non posse putamus.

Aliud gravissimum argumentum hoc nobis esse videtur: scriptor qui sententias aliorum sive in narrationibus sive in excursibus referens plures quidem deos dicit, statim autem, ubi quid ipse censeat dicit, unum deum commemorat, nonne aperte is docet ipsum se unum deum colere?

Ita res se habet apud Ammianum. Nam et de divinatione agens dicit XXI 1. 9 'volatus avium dirigit deus', ... 'amat enim benignitas numinis ...; et de Nemesi XIV 11. 25 'ius quoddam sublime numinis efficacis' quam sententiam veram Ammiani videri supra p. 39 et 40 ostendimus. Itaque si ex sententia Ammiani numini est ius ulciscendi, iustitia, non phrasis poetica est illud (XIV 11. 24), 'sed vigilavit utrubique superni numinis aequitas'. Qua de causa iam alios quoque locos interpretari possumus, ut XXIX 2. 20: 'inconivens Iustitiae oculus arbiter et vindex perpetuus rerum vigilavit adtente namque caesorum ultimae dirae, perpetuum numen ratione querelarum iustissima commoventes, Bellonae accenderant faces' ...; Neque enim 'oculus' neque 'dirae' neque 'faces' verbotenus intellegi possunt. Tamen sententiae supponenda est propositio iustitiae numinis, iusti rerum humanarum regiminis.

Atque ad alterum argumentum praeter locum de Nemesi agentem (ubi ceterorum opinionibus opponitur illud 'ius numinis') duos locos afferimus: excursum enim quem iam commemoravimus de divinatione exstare XXI cap. 1 (§ 14 ex Ciceronis sententia: 'signa ostenduntur a dis; ... non deorum natura' § 9 ex Ammiani sententia: 'dirigit deus; benignitas numinis'); atque locum XIX cap. 10, ubi Ammianus narrans inopia frumentorum imminente praefectum Tertullum his verbis plebi obiecisse parvulos suos filios: (§ 3) 'en, inquit, cives vestri — procul omen dii caelestes avertant —' et qu. seq., — ipse ita pergit (§ 4) 'moxque divini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam per-

petuamque fore respondit ... tranquillitas mare mollivit (et) ... naves ingressae frumentis horrea referserunt'.

Itaque non habemus, quod Ammiano cum deo vel numini imperium mundi et regimen rerum humanarum tribuit diffidamus.

Sed quae est natura illius numinis, quomodo se habet ad homines?

Homines ab eo regi saepissime et variis sententiis dicitur: nutus XXXI 10. 18; arbitrium XV 8. 9; adspiratio XV 2. 8; voluntas XIV 10. 12; ductat XIV 11. 12; adest XVI 12. 18. Favet hominibus: auxit Romam XIX 10. 4; extrahit discrimine XXV 8. 3; favor XVI 12. 62, et mult. sim. Sed etiam 'offenditur' XXV 10. 1 atque 'laevum deligit' XXXI 4. 9. Tamen semper iustum et aequum est: XIV 11. 24; XXIX 2. 20. Quin etiam ius ulciscendi, ius Nemeseos ei tribuitur XIV 11. 25.

Itaque non possumus quin Ammianum numen esse 'aequum' et 'efficax' credidisse putemus. Atque etsi numen illud non deus certus (ut deus christianus), sed potius vis quaedam divina corpore quasi vacans est, tamen Ammianum pium atque religiosum fuisse negari non potest.

Tertia denique quaestio, cui religioni sit tribuendum numen Ammianeum, accuratius diiudicari nequit. Nam quamquam deus non est christianus, tamen religione christiana Ammianum excolentem notionem numinis adiutum fortasse esse quis est qui neget? Atque etiamsi 'numen' illud 'summum' Jovi Stoicorum ὑψίστῳ simile est atque XVII 7. 3 (cf. quae adnotavit ad hunc locum Valesius in ed. Wagn. Erf. II p. 272) respicit ad doctrinas quasdam Etruscorum, tamen notiones Marcellini divinae minus excultae sunt quam quas ex philosophia haustas esse putemus. Itaque opiniones vulgares secutus non neglectis variis religionibus sibi ipse propositionem dei fecit haud ita perspicuam, sed firmam.

VI. DE FATO, DE FORTUNA, DE DIVINATIONE.

Primum afferamus verba quae ad hanc quaestionem pertinent:

1. fatum. Fatum ita est intellegendum: lex quaedam occulta, sed certa atque aeterna, qua mundus regitur, ita quidem ut rei cuique, antequam fit, iam praestitutum sit, quomodo sit eventura. Sed mox ex lege illa exstitit potestas quaedam divina, quae fere ut persona res humanas gubernat, atque omnibus et rebus et hominibus finem praescribit. Atque dei vel deus aut idem intelleguntur quod fatum aut fato obnoxii esse putantur.

Ammianus Marcellinus saepius fatum α) ut personam vel personas agentes facit: XXIX 2. 22 'decernentibus fatis'; XIX 12. 9 'fato quodam arcente'; XXIX 1. 15 'salutem Valentis ... in extrema demersam, ferrumque ... fato reflectente depulsum, quem lacrimosis in Thracia discriminibus destinarat'; XXI 15. 2 'territus omine, finem parantibus fatis'; XIV 11. 12 'ut solent, manum iniectantibus fatis'; XXIII 6. 2 'cum apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum'; XV 5. 18 'Constantio icto quasi fulmine fati'; Mira denique confusio inest loco XIV 11. 19 'pandente itaque viam fatorum sorte tristissima, qua praestitutum erat eum vita et imperio spoliari'. Duae enim imagines inter se confunduntur: sors ei destinata est tristissima — atque: fata pandent viam et vita eum spoliant.

β) fatum quoddam singulare singulis datum: XIX 12. 16 'fatum eius vigens semper et praesens in abolendis adversa conantibus eluxisse'; itaque omnino fere idem quod p. 44 fortuna 4) loci XIV 10. 16. XXX 5. 15 'ibique diu compositum ad quietem principis fatum sortem denuntiabat ei supremam'; fortasse etiam XIX 12. 9 'fato quodam arcente'.

γ) Fatum est id quod futurum est, quod fieri necesse est; id quod fit ex ordine quodam divino; fatum est ordo ille divinus, lex fixa, qua res et homines destinantur. Ab illo α) hoc fatum γ) ita distinguitur, ut ei nulla vis propria et spontana attribuatur. XVI 1. 1 'haec per orbem Romanum fatorum ordine contexto' (i. e.: postquam haec ita facta sunt, ut res ex re fieri solet et debet secundum legem naturalem); XXVI 3. 1 'dum haec in oriente volubiles fatorum explicant sortes'; — haec lex fatalis hominibus saepe obstat: XXVII 6. 15 'si per fata proximosque licuisset' (nisi forte 'fata' nihil aliud sunt ac 'res' i. e. 'Verhältnisse, Umgebung'); res, quae nos destinant non solum res externae, sed etiam ipsorum nostra ingenia, non solum leges quaedam superae, sed etiam voluntates aliorum hominum sunt: XVII 12. 17 'verum illud aestimabatur fatum (civium) vinci principis potestate vel fieri'; itaque id quod futurum est, tamen ab hominibus mutari potest. XV 3. 3 'Constantius quasi praescriptum fatorum ordinem convulsurus'; — plerumque fatum significat 'vitam' vel 'salutem' vel 'id quod singulis hominibus eventurum sive destinatum est': XIV 11. 25 '(Adrastia) ... substantialis tutela generali potentia partilibus praesidens fatis'; XXII 16. 17 'scientia, quae fatorum vias ostendit; XXIX 1. 5 'fatorum per genituras interpres'; XXX 4. 11 'hi velut fata natalicia praemonstrantes'.

δ) fatum est id quod hoc ipso tempore accidit: XXVI 6. 10 'ubi felicius acciderit fatum'.

ε) id quod iam factum est, res gestae: XXXI 16. 8 'comperta enim fatorum sorte'.

ζ) tristis sors, interitus, mors: XVII 9. 4 'cum ultimis hostium fatis instamus'.

'Fatum' igitur est lex naturalis, sed plerumque lex divina, itaque potestas vel potestates quaedam divinae; nonnumquam fatum homini est inimicum.

2. Fatalis. Nomen adiectivum 'fatalis' saepius eodem modo usurpatur quo fatum γ.): XXIII 5. 5 'quoniam nulla vis humana vel virtus meruisse umquam potuit, ut, quod praescripsit fatalis ordo, non fiat' (cf. 'praescriptum fatorum ordinem' XV 3. 3); XXI 1. 8 '(Themis) fixa fatali lege decreta praescire facit'; XXI 14. 3 'salva firmitate fatali'; XXIX 1. 32 (exclamavit) 'Theodorum praescribente fatali necessitate portendi ...'; XX 11. 32 'quasi fatali constellatione ita regente diversos eventus'. Nonnumquam de tristi eventu (morte, cf. fatum ζ) dicitur: XVII 11. 5 'fatali decesserat sorte' = XXVII 5. 10 = mortuus est; XIX 11. 15 'ordo fatalis absumpsit.' Itaque morti ipsi cognomen 'fatalis' additur: XXV 10. 16 'fatali praeventus est morte'; atque, quod dilucidius est: XXVIII 6. 24 'trusus in carcerem (Flaccianus, qui mortem exspectabat) sollicitatis custodibus Romam abierat profugus ibique delitescens fatali lege decessit': ergo fatalis est ea res quae mihi non ab aliis hominibus sed natura (ex fixa naturae lege, fortasse etiam a divinis potestatibus) fit.

3. Sors. Compluribus locis iam occurrit 'sors' coniuncta cum 'fato' vel 'fatis'. 'Sors' enim nobis a fato datur atque nuntiatur. Afferamus ceteros paucos locos: XVII 13. 26 'divinitus delata sorte'; XXV 3. 9 'hic obiturum se praescripta audierat sorte'; XXX 5. 15 'sortem denuntiabat ei supremam'; XIX 8. 2 'sors partium (regebatur) eventu indeclinabili'; XV 7. 8 'fatidicarum sortium'; XXIX 1. 7 'sortes secretis artibus motae'; XXIX 1. 33 'ex fide sortium'; XXXI 14. 8 'eiusdem sortis' (= versus fatidici).

4. praescribere et similia verba: XXV 3. 9 'praescripta sorte'; XXX 6. 6 'sensit ultimae necessitatis adesse praescripta'; XXV 10. 12 'praescriptus vitae finiendae dies'; XXIX 1. 16 'vitae terminis a primigenio ortu adscriptis'; XXV 3. 19 'fide fatidica praecinente'; XXV 3. 16 'delatum';

XIV 11. 19 '(sors) qua praestitutum erat eum vita et imperio spoliari'.

5. Optime autem omnia quae antecedunt complectitur haec sententia: XVI 1. 4 'videtur enim lex vitae eum comitata esse'.

Videmus igitur fatum semper severum quoddam et serium atque superum divinumque esse. Maxime autem discrepat ab eo 'fortuna'. Nam quod supra diximus (p. 44) fortunam 3. esse simile aliquid ac fatum, unus tantum eiusmodi locus exstat, quem ibi commemoravimus: XV 5. 1: 'ni fortuna moderatrix humanorum casuum motum eventu celeri consummavit.' Semper autem quae dicit Ammianus de fortuna, ad humanas tantum res spectant, praeter Fortunam deam et fortunas i. e. genios [1]). Itaque etiam innumeris locis simili modo usurpantur 'fors' et 'casus'. Certe gravis est quaestio utrum res fiant ratione an forte, quomodo inter se differant fortuna et felicitas (cf. XXI 16. 13: 'ut Tullius docet ...: neque enim quicquam aliud est felicitas, inquit, nisi honestarum rerum prosperitas ... felicitas est fortuna adiutrix consiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix esse nullo pacto potest'). Sed eas quaestiones, quoniam non ad nostram, quae est de rebus divinis, sed ad ethicen pertinent, hic mittamus.

Sed priusquam de potestate agimus quam tribuit Ammianus Marcellinus fato, de divinatione, quippe quae arte cohaereat cum fato, breviter nobis est dicendum.

Constat Ammianum magnam fidem oraculis, ominibus portentis, praesagiis attribuere. Longum est omnes locos,

---

1) Dicit Teuffel-Schwabe p. 1093: 'In der Hauptsache lenkt alles fortuna oder fatum'. Nescimus utrum fortunam deam dicat (quam re vera esse Ammianum non credidisse supra demonstravimus), an fortunas i. e. genios (qui mundum regere nullo modo dici possunt), an fortunam, fortem, casum, 'das Glück'. Haec autem fortuna, id quod modo diximus, ita cum fato componi atque comparari nequit.

qui huc spectant enumerare (exstant, ni fallor 108!) neque opus est varia praesagiorum et prodigiorum genera perlustrare (cf. quae Cartius dicit p. 29: 'ut brevi loquamur, per omnes fere res Deorum voluntatem significari credit, easque anxia et timida cautela observat').

Sed quaerimus num re vera crediderit prodigiis et praesagiis, atque si iis credidit, quibus divinis potestatibus ea tribuerit.

Illud quoque Gimazanius negat p. 340: 'Ammien Marcellin, ancien soldat et magistrat de l'empire, croyait peu aux présages', et p. 342 'ces futilités sont la parure obligée d'un livre écrit dans le plus superstitieux des siècles' [1]).

Utamur eodem argumento quo supra in tractando numine, atque videamus num, quae iudicat Ammianus, congruant cum iis, quae narrat.

Primum operam eum dedisse maximam cognoscendae arti divinatoriae variisque eius generibus ex XXIX 1. 29—32 sequitur, ubi quam accuratissime describit exorcismum quendam Patricii et Hilarii. Se portentis credere dicit XIX 12. 20 'nascuntur huiusmodi saepe portenta indicantia rerum variarum eventus, quae quoniam non expiantur ut apud veteres publice, inaudita praetereunt et incognita'. Nonne etiam plura quam ipse commemoret portenta nasci dicere videtur? Tamen non caecus omnia quae traduntur excipit, sed rationem admittit: XV 5. 34: Romae in Circo maximo populus exclamaverat 'Silvanus devictus est', atque Ammianus dubitat: 'incertum ratione quadam percitus an praesagio'.

1) Mirum est hoc 'ancien soldat et magistrat de l'empire'. Nam milites nonne superstitiosi erant? Atque si non fuissent, num tales adiectiones sunt argumenta? Neque melius pergit homo doctus: 'dans le plus superstitieux des siècles'. Nam ea de causa quod saeculum quo fuit Ammianus superstitionibus fuit deditum, ipse scriptor eius saeculi fortasse non superstitiosus erat?

Quin etiam nimiam superstitionem ludibrio habet: XXVIII 4. 24 'multi negantes esse superas potestates in caelo nec ... nec ..., antequam ephemeride scrupulose sciscitata didicerint, ubi sit verbi gratia signum Mercurii vel ...'; atque Iulianum vituperat (XXV 4. 17), quod fuit 'praesagiorum sciscitationi nimiae deditus, ut videretur ... superstitiosus magis quam sacrorum legitimus observator'. Tamen etiam ipsum Iulianum defendit, qua in re manifeste docet se ipsum divinationi, auguriis, auspiciis, ceteris eiusmodi artibus fidem habere: XXI 1. 7 'et quoniam erudito et studioso cognitionum omnium principi malivoli praenoscendi futura pravas artes adsignant, advertendum est breviter, unde sapienti viro hoc quoque accidere poterit doctrinae genus haud leve'. Sequuntur varia divinandi genera § 8—14. Minime neglegendum est quod dicit § 13 'et quia vanities aliquotiens plebeia strepit ... sufficiet dici quod et grammaticus locutus interdum est barbare et ... § 14 ... non deorum natura sed hominum coniectura peccavit.'

Num potest quidquam dici clarius aut dilucidius? Accedunt ea quae passim addit ubi praesagia commemorat: XXII 12. 7 'extispicia nonnumquam futura pandentia'; XXIX 2. 20 'ut fides oraculi firmaretur, quod ... praedixerat'; XXV 10. 1 'velut offenso numine multa visebantur et dira'; XXII 16. 17 scientia quae fatorum vias ostendit' et sim al. Itaque eum quae tradit de portentis, de praesagiis similibusque credidisse plurima esse vera negari non potest.

Unde igitur dicit Marcellinus cognitionem rerum futurarum nobis fieri? — Ex sententia Ammiani numen nobiscum communicat futura: XXI 1. 9 'volatus avium dirigit deus ... amat enim benignitas numinis, seu quod merentur homines seu quod tangitur eorum adfectione, his quoque artibus prodere quae impendent'. Etiam philosophiam de hac difficili re consuluit: XXI 1. 8 'elementorum omnium spiritus, utpote perennium corporum praesentiendi motu

semper et ubique vigens ex his, quae per disciplinas varias adfectamus, participat nobiscum munera divinandi' atque § 11 'sol enim, ut aiunt physici, mens mundi, nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans, cum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddit'. Tamen ei hae definitiones non videntur, in sucum quasi et sanguinem transiisse. Melius dicit genios singulis futura prodere: XXI cap. 14; praeterea XXI 1. 8 'et substantiales potestates ritu diverso placatae, velut ex perpetuis fontium venis, vaticina mortalitati suppeditant verba'; et XIV 11. 25 '(Nemesis) ... vel ut definiunt alii substantialis tutela generali potentia partilibus praesidens fatis'.

A deo igitur vel a geniis nobis sors nostra nuntiatur. Sed a quo destinatur? Atque cum fata vel fatum hanc sortem, legem vitae nominari supra viderimus, quam potestatem tribuit Ammianus fato? —

Cum non iam ignoremus usum eius dicendi, facile concedimus eum fata non personas habuisse atque fatum illud α. nihil aliud esse ac fatalem ordinem. Sed num credidit vitam nostram hoc fatali ordine destinari? Certe. Atque ut id demonstremus sufficiet locos illos quos iam commemoravimus tibi in mentem revocare, quorum universitate commoti facere non possumus quin Ammianum 'legem quandam vitae' nos comitari credidisse dicamus.

Si complectimur atque componimus quae de numine et de fato comperimus, videmus et numen et fatum, ambo inter se simillima, mundum et homines regere. Neutrum tamen accuratius atque clarius definitur, sed amat Ammianus potius vim eorum atque actiones commemorare quam, ut personarum, naturam describere. Itaque in universum et fatum et numen ei sunt non tam personae vel nomina propria, sed regimen quoddam mundi. Atque cum memineris, quae supra diximus: eo quod Ammianus tam saepe Iustitiam deam commemoret, eum ostendere se iustum

illud regimen habere, videbis Ammianum Marcellinum bene iusteque mundum per numen et fatum regi credisse. Num ea religio (quod Cartius dicit p. 41) frigida ieiunaque est? Certe convenit huic religioni bene, quod ipse Ammianus et mundum et homines bonos putat iudicatque semper, quantum potest, iuste atque aeque. Sed hic est limen, quod ad ethicen ducit: nostrae quaestionis iam ad finem pervenimus.

CONCLUSIO.

Ammianus Marcellinus neque christianam neque veterem paganam religionem professus est. Sed ut in aliis, ita in rebus religiosis atque de religionibus quae tunc erant semper aeque iusteque iudicat. Maxime favisse videtur sectae philosophorum, quibuscum tamen ut sine exceptione se coniungat, tantum abest, ut nimiam eorum auctoritatem vituperet. Verum ex philosophia eum plurimas quas prodit de rebus divinis doctrinas hausisse verisimile est.

Deos veteres esse re vera non credit, sed imagines quasdam esse virium naturalium putat. Miracula et fabulas 'vetustatis' solet rationali modo interpretari. Neque iustitiae aut aliis virtutibus qualitatibusque humanis potestatem divinam tribuit; sed ubicunque id fieri videtur, figurae tantum dicendi exstant.

Unum deum colit. 'Deus' autem Ammianeus non est nomen proprium personae cuiusdam certae divinae. Nam pro 'deo' potius compluribus utitur ambiguis nominibus, dicit 'numen', quin etiam 'curam, nutum caelestem' et similia. Itaque non personam, sed vim potius divinam colit. Bonum autem iustumque est numen illud et amat homines.

Praeterea credit esse genios. Quos caveas ne locum veterum deorum obtinere putes. Contra genii sunt potesta-

tes quaedam inter numen et homines mediae, quae singulis adiunctae adsunt et prosunt produntque interdum futura.

Prodigiis et auguriis ita est deditus, ut fere superstitiosus nominari possit. De divinatione ipse doctrinas, tamen haud ita perspicuas, prodit. Signa hominibus a numine vel a geniis ostenduntur.

Et per fatum fortunamque et per rationem virtutemque res humanae accidunt. Sed fato uni certa regendorum hominum potentia propria est. Ex fatali ordine et vita et mors singulorum destinantur, quamquam non ita, ut hominibus liberum arbitrium non sit.

Numinis igitur et fati regimen mundi est; ambo iuste et benigne sortes hominum regunt. Itaque etiamsi non certae cuiusdam religionis doctrinas accepit, pius tamen atque religiosus est Ammianus Marcellinus.

Corrigendum autem est quod Teuffelius vel Schwabius dicit: 'Ammian ist entschiedener Polytheist'. Si brevi et uno eius modi verbo religionem eius nominare conatur, adhibeat sententiam quandam qua p. 1087 utitur; est enim ea 'neutraler Monotheismus'.